DE ANTIQVO IVRE PRESBYTERORVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

proibito

DE ANTIQVO IVRE PRESBYTERORVM IN REGIMINE ECCLESIASTICO,

Autore CLAVDIO FONTEJO *Theologo.*

BIBLIOT. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Τὰ κοινῆ φαινόμενα πιστὰ

TAVRINI,
M. DC. LXXVI.

Typis Bartholomæi Zappatæ.

te oculos poſuit Claudius Fontejus, quas in hac lucubratione, quam præ manibus habes, Lector chariſſime, fortiter ac nervosè refutavit. Ex his porrò intelligitur potiſſimè, Autorem diſſertationis, in votis habuiſſe Monarchicam authoritatem, ac deſpoticam Epiſcopis comparare, & ab omni eorum conſortio in rebus Eccleſiæ gerendis, Presbyteros arcere: totúmque illius ſtudium extitiſſe, vt ſe dignitatis amplificatorem ſub ſpecie vltoris, non modo inimicorum, ſed & invidorum gereret. Ego verò cùm beneficiis Claudij Fonteij, tum amore meo incitatus, averem ma-

ximè, fieri rerum Eccleſiæ tranſactis temporibus præteritarum recordatione doctior, quâ plurimum pollebat, illum enixè rogare non deſtiti, vti cogitationes de re tanti momenti ſchedis ſuis committeret; & cùm ipſe nihil magis amaret quàm amorem meum, rogationi meæ non abnuit. Poſtridiè cùm eſſem vnà & pauci familiares, ille in eum ſermonem incidit, qui tum ferè omnibus erat in ore, & ab eo multa prudenter de hac causâ diſputata, multa etiam breviter, & commodè dicta ſunt. Præſertim dixiſſe nobis memini, ſe non paucis abhinc annis opus de Regimine Eccleſiæ animo concepiſſe, &

PRÆLOQVIVM
SIVE
ADMONITIO
AD LECTOREM.

CVM in Galliam veniſſem Anno Chriſti M. DC. LXX. & prid. Kalend. Iunij Lutetiam Pariſiorum appuliſſem, comitante Claudio Fontejo viro Theologo, juſtis de cauſis amiciſſimo, incurrit in manus noſtras libellus caſtigatè quidem, & eleganter ſcriptus, ſub titulo Diſſertationis De ſumma poteſtate Epiſcoporum. At cujus ſtudium in legendo non erectum hac libelli inſcriptio-

ne ? Ipſa rerum gravitas, quas accuratè Autor explicare pollicebatur non mediocriter mentem retinebat, explebátque animum expectatione jucundiſſimæ lectionis. Quãobrem non ſine mœrore animadverti miſcuiſſe Autorem diſſertationis res Eccleſiæ, & ad doloris neceſſitatem adduxiſſe omnes Chriſti Ieſu Preſbyteros, ſi tantâ authoritate Epiſcopi potiri viderentur. Interim cùm perſpicerem, ſenſim ſine ſenſu, cauſas, quæ jucunditati, ac lætitiæ quâ explendus erat animus Lectione hujus libelli remoram imponerent, ſtatim varias propoſitiones minio obductas, an-

in cogitationem veniſſe de jure Presbyterorum, prorſus contrariam opinioni hujus Autoris, quæ numquam magis incogitabilis viſa eſt, quam cùm eam non ſolùm excogitatam, ſed & palàm publicatam videbat, manuſcripto libello, qui in manibus omnium verſabatur: aſſeruitque ſe tandem hoc perlecto, decreviſſe animum appellere ad ſcribendum de hoc argumento; & jam duobus ab hinc diebus opus ſuum tripartitò diviſiſſe.

Primò, *de Antiquo jure Presbyterorum in regimine Eccleſiæ.*

Secundò, *de hoc jure ad Canonicos Eccleſiarum Cathe-*

dralium, vnà cum Epiſcopis devoluto.

Tertiò, *de tollendis immunitatibus conſenſu, & liberâ voluntate Canonicorum, & Monachorum. Sed cùm ad hoc opus improbo labore nimis amiciſſimus, à cujus latere nunquam diſcedebam incumberet, vix primâ parte confectâ interruptum reliquit, longâ febris exacerbatione correptus, cujus vim & contumaciā ex diligenti medicorum conſultatione adhibita remedia irritarunt. In hac miſeriâ, quatuor ferè menſes tranſegit miſerantibus, & lacrymas ægrè comprimentibus, qui ejus colloquio vtebantur; recordãtibus pietatis, ingenij, ſcientiæ, & vi-*

riarum præſertim Eccleſiaſticarũ rerum notitiæ, quâ tenere hominum aures, & ſui æſtimationem facere erat ſolitus. Igitur Lutetiæ, novâ erumpente vi morbi, poſt tertium menſem extinctus eſt ætatis ſuæ quinquageſimo, Sacris religioſè, ac piè cùm interfuiſſet peractis, extremas tabulas ſcripſit, hæredem me ex aſſe ſuũ fecit, Libros omnes & ſchedas quas ad libitum, reverſus in Patriam, publicarem, legavit, & ad finem vitæ pervenit eo genere mortis quale ipſe ſemper optaverat, ſenſibus ac mente integrâ, magni ſcilicet æſtimans animum priùs morti componere, & Deum ſibi per Chriſtianæ Religionis ſacra, piaculaque propitiare. Tenui

funeris honore elatus eſt, & in Æde Sanctorum Lupi & Ægidij, quia Teſtamento mandaverat vulgari Sepulchro conditus, mundi finem & futurum Chriſti Iudicis adventum expectat.

S. Auguſtinus *Epiſt. XV.* Hieronymo.

Poteſt fieri vt aliud videatur quam veritas habet, dum tamen nihil aliud fiat, quam Charitas habet.

DE ANTIQVO IVRE PRESBYTERORVM IN REGIMINE ECCLESIASTICO.

Capvt I.

Chriſtus Dominus regimen Monarchicum non inſtituit.

DE Iure Presbyterorum in regimine Eccleſiaſtico ſcripturus, potiſſimè cavendum mihi eſſe duxi, ne vitium vitare totâ mente cùm cupiam, in contrariũ præcipiti curram impetu: ſcilicet ne dum injecto metu Epiſcoporum monarchiæ perhor-

 reſco

reſco, ad regimen Presbyterorum omni ſubiectione ſolutum & Pontificum iuriſdictione liberum animum inflectere videar. Quamobrem antequam ad tantulum opus integram manum admoveam, operæpretium me facturum ratus, palam fateri neceſſe eſſe arbitror; Aërium teterrimum fuiſſe hæreticum, propter hoc dogma ſupra hominis captum furioſum & immane: quo ſentiebat Epiſcopum presbytero non antecellere, nullum inter vtrumque diſcrimen eſſe, amborum vnum eſſe ordinem parem, & eundem honorem ac dignitatem. Abſit enim hoc à Religione & virtute malum, vt vnquam ratio noſtra ad tam horribilia monſtra confugiat, & cum ejuſmodi impiorum ac ſceleratorum hominum genere dicat, referente Epiphanio, hæreſi 75. *Manus imponit Epiſcopus, imponit & Presbyter, baptizat Epiſcopus, idem facit & Presbyter, Epiſcopus in throno ſedet, ſedet & Presbyter.* Hæc enim ſunt impuri σφάλματα ſpiritûs, qui-

bus

bus in vulgus iactatis, pleroſque in errorem abduxit hæreticus Aërius, quorum ſectæ Princeps extitit. Igitur quantâ poſſum animi ſubmiſſione, corde & ore, manuque ſubſcribo Decreto Concilij Tridentini ſancito ſeſſione 23. Canone 7. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent illis eſſe cum Presbyteris communem, vel ordines ab ipſis collatos, ſine populi vel poteſtatis ſæcularis conſenſu, aut vocatione irritos eſſe, aut eos qui nec ab Eccleſiaſticâ & canonicâ poteſtate rite ordinati, nec miſſi ſunt, aliunde veniunt, legitimos eſſe Verbi & Sacramentorum miniſtros, Anathema ſit.*

Verùm enimverò ad ſcribendum mentem appuli, non anteceptæ opinionis falſæ præiudicio, ad tuẽda jura Presbyterorum adverſus errorem in cleris dominantium; in quem iviſſe maximè videtur manuſcriptæ diſſertationis Author, quæ paucis abhinc diebus in manus noſtras incurrit, dum tot in Eccleſiâ

principes & monarchas eſſe docet quot Epiſcopos, penès quos totam autoritatem atque ſummam iuriſdictionem eſſe pronuntiat, & ab omni presbyterorum conſilio & conſenſu liberam ſcribit exiſtere. Ejuſmodi opinionem falſam appellare non dubito, quippe cùm verbo Dei ſcripto, & traditæ per manus Eccleſiæ veritati contrariam eſſe non ſolum demonſtrem, verum etiam diverſæ partis ſcriptorem falſi crimine aperto Marte convincam: Adeò vt nullus dubitandi locus mihi relinquatur, quin huiuſce lucubrationis lectione non ſolùm pietate, ſed etiam veritate perſpicuâ mentem ſuam Lector expleat. Iam verò vt ea quæ ex novæ legis Scriptoribus ad Presbyterorum iura tuenda conducere poſſunt primâ fronte confutationis examinentur, ſcire, atque intelligere neceſſe eſt, quod cùm ad annum ætatis ſuæ trigeſimum ferè ſecundum Chriſtus Dominus perveniſſet, præcurſoris ſui Ioannis curſu confecto, prima capeſſendæ reipublicæ

publicæ Chriſtianæ, ſeu Eccleſiæ regendæ fundamenta jecit; cui miniſtros præficere opus fuit, qui erga Deum omni officio, ac potiùs pietate ipſimet ſatisfacerent. Igitur poſtquam teſtatus eſſet Ioannes hunc eſſe filium Dei, necnon eius diſcipulorum duo, & conſpicatus ambulantem Ieſum dixiſſet. *Ecce Agnus Dei*, Eius verbis auditis duo illi eius diſcipuli Ieſum primò ſecuti ſunt. Erat Andreas, Simonis Petri frater, vnus ex his duobus, qui prior fratrem ſuum Simonem nactus, ei inventum à ſe Meſſiã nuntiavit, eumque ad Ieſum deduxit, qui intuitus eũ Cephas appellavit, quod Verbum Petrum ſonat. Poſtero die cum Ieſus in Galilæam profectus Philippum offendiſſet, pariter eum excivit, adiunxitque Nathanaëlem verũ Iſraëlitam in quo dolus non erat, quîcum Philippo multa familiaritas ac neceſſitudo interceſſerat. Hi ſunt quatuor primi Chriſti diſcipuli ex collegio diſcipulorum Ioannis ſelecti, quibus etiam atque etiam Ioan. 1.

 conſit

confirmavit Ieſus futurum eſſe vt apertum cœlum viderent & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ad filium hominis. Continenti tempore plures alij ſocietati diſcipulorum eius nomen dedere, quorum nomina Scriptores vitæ Chriſti ad poſteros non tranſmiſerunt. Erant enim multi qui ſequebantur eum, inquit Marcus, cùm publicanum cui nomen erat Mathæo, à publicanorum menſa, quâ illi penitus interdictum eſt, ad ſcholam ſuam traduxit. Ex multitudine diſcipulorum, duodecim aſſumpſit, quos Apoſtolos nominavit, & dedit eis contra ſpiritus impuros poteſtatem, vt eos expellerent, & omnes morbos omneſque languores ſanarent. Atque illis præcepit ne ad exteras gentes iter haberent, neque in vllam Samaritanorum vrbem intrarent, ſed potiùs ad perditas oves Iſraëliticæ domûs irent. Deinde Petri dignitatem amplificavit, nováque benevolentiæ ſuæ acceſſione cumulavit, ob confeſſionem Chriſti Dei viventis filij,

Ioan. cap. 7.

Math. c. 10.

Lucæ 9.

quem

quem illi Ioannem Baptiſtam, illi Eliam, alij Hieremiam eſſe, aut prophetarum aliquem revixiſſe exiſtimabant , ipſique, ſcilicet Petro, quem Petrum alludens dixit, fore promiſit vt in eo Eccleſiam ſuam conſtrueret quam Orci portæ non ſuperarent, pariterque ſpopondit ſe daturum illi claves regni cœleſtis, quibus quicquid ligaret in terra, ſimiliter foret ligatum in cœlis, & quicquid ſolveret in terra ſimiliter foret ſolutum in Cœlis. Venerunt autem deinceps in cogitationem Apoſtoli quis eſſet eorum maximus, & Ieſus mentem eorum perſpiciens, prehenſo puero & apud ſe ſtatuto hæc ad eos verba fecit. Qui puerum hunc “ meo nomine accipit me accipit, “ & qui me accipit, eum accipit qui “ me miſit. Nam veſtrûm minimus “ quiſque maximus erit. Hoc vo- “ bis, inquit, confirmo: niſi mutati “ fueritis & pueris ſimiles redditi “ non intrabitis in cœleſte regnũ. “ Itaque ſic inſtituto duodecim Apoſtolorum Collegio, & accept à

Matth. 16.

Luc 9

Petro ſingulari poteſtate ligandi & ſolvendi in Cœlis, quod in terra ſolveret aut ligaret, poſtea conſtituit Dominus etiam alios ſeptuaginta duos, eoſque binos ante ſe præmiſit in omnes vrbes & loca quò ipſe venturus erat; deditque eis, ſicut duodecim, poteſtatem vt ſanarent omnes morbos, & contra ſpiritus impuros, vt eos expellerent; Quippe dixit eis Dominus, qui erunt ægroti curatote, & cùm reverſi fuiſſent cum lætitia dixerunt: *Domine etiam dæmonia à nobis per tuum nomen eijciuntur.* Quibus ille, *Videbam Satanam ſicut fulgur de Cœlo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*, ipſiſque omni gaudio interdixit, quod illis *ſubjicerentur ſpiritus, ſed eo potiùs gaudere ait, quod nomina eorum ſcripta eſſent in Cœlis.* Hactenus pari poteſtate donantur Apoſtoli & ſeptuaginta diſcipuli, quos ſimiliter Apoſtolos nuncupare videntur veteres Eccleſiæ Patres, Irenæus libro

bro 20. adverſus hæreſes, cap. 37 & Tertullianus libro 4. adverſus Marcionem, cap. 24. Verùm reliquo vitæ curſu familiariter magis vſus eſt duodecim Apoſtolis, quàm reliquis diſcipulis, quippe cum iis ſolis agnum paſchalem manducavit, iiſdem pedes lavit, cum iis Euchariſtiam inſtituit, grandem poſt cœnam ſermonem habuit, eos ſuarum actionum, ſententiarum, voluntatum, rerum denique omnium ſocios, comiteſque habuit, illis patefecit animum Iudæ, quem ſibi inimiciſſimum noverat, & in ſe horribili malevolentiâ ſuffuſum. Inter eos ortam de primatu concurſationem & contentionem cōpoſuit, & pro fide Petri oravit. At poſt mortem non ſolis apparuit Apoſtolis, ſed & mulieribus, aliiſque plurimis diſcipulis.

Intelligimus ex hiſtoriæ Evangelicæ Scriptoribus decies poſtquam revixiſſet viſum fuiſſe; primâ vice ſub forma hortulani à Maria Magdalena de qua ſeptem ſpiritus impuros, ejecerat. Secundâ

ab eadem Mariâ & Ioannâ. & Mariâ Iacobi & cæteris omnibus quæ cum eis erant, *Quæ dicebant ad Apoſtolos Hæc.* Tertiâ Petro. Quartâ Cleophæ & alteri, duobus ſcilicet diſcipulis euntibus Emaüs. Quintâ vndecim Apoſtolis noviſſimè recumbentibus, cùm eſſet veſpera, illo ipſo die qui proximus erat ſabbato, clauſis præ Iudæorum metu eius loci portis, quo adſiavit & dedit eis poteſtatem remittendi & tenendi peccata. *Dixit ergo eis iterum*, inquit Ioannes, cap. 20. *Pax vobis: ſicut miſit me pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt* Sextâ iiſdem cum Thomâ nomine Didymo, qui quintâ vice non erat cum iis. Septimâ apud Tiberiadis lacum Simoni Petro, Thomæ Didymo, Nathanaëli qui non erat ex duodecim; filiis Zebedæi, ſcilicet Iacobo & Ioanni, & duobus aliis ex eius diſcipulis, quâ poſtquam pranderunt cum Ieſu, cu-

Luc. 16.

ram paſcendarum ovium, ſolitario Petro commiſit, priùs habitâ ſummâ teſtificatione, & ter repetitâ amoris Petri erga ſe. Octavâ cùm vndecim Apoſtoli in Galileam profecti ſunt in montem quo eis Ieſus præceperat, eumque viſum adorarunt, quâ viſus eſt pluſquã quingentis fratribus ſimul, ex quibus nonnulli dubitarunt. Nonâ Iacobo ſoli ſe monſtravit. Decimâ denique & vltimâ vice viſus eſt ab omnibus Apoſtolis, cùm eis incredulitatem & pervicaciam exprobravit, quòd eis qui ſe reſurrexiſſe viderant non crediđiſſent, eiſque iuſſit ire in totum orbem prædicatum Evangelium, pollicitus ſalutem eis qui crediderint, & damnationem comminatus iis qui non crediderint; ſicque perfectâ re poſtquam Apoſtolos allocutus eſt, ſublatus eſt in cœlum, & ad Dei dexteram ſedit. Illi vero digreſſi vbique prædicaverunt: *Domino adjuvante & orationem confirmante ſequentibus ſignis.*

Ex his omnibus ſex certiſſima intelliguntur capita.

I. Dum in vivorum numero Chriſtus fuit, datam eſſe parem poteſtatem duodecim Apoſtolis & ſeptuaginta duobus Diſcipulis; ſcilicet ſanandi omnes languores, & ejiciendi impuros ſpiritus: quæ poteſtas extraordinaria fuit non continuata in ſucceſſoribus Apoſtolorum aut Diſcipulorum. Quippè hodie Epiſcopi aut Presbyteri nec morbos curant, nec dæmones fugant.

II. Certum eſt Chriſtum privatim dediſſe Petro poteſtatem ligandi & ſolvendi; pro fide Petri ne deficeret oraſſe, & ideo illi dixiſſe, vt converſus confirmaret fratres ſuos. Denique paſcendos agnos & paſcendas oves ei ſingulariter commiſiſſe.

III. Bis ortâ concurſatione inter Apoſtolos de primatu, cùm incurreret in animum eorum quis eſſet maximus, nunquam Chriſtus dixit Petrus aut Ioannes, hic vel ille maior eſt aliis, & inter eos primatum occupabit aut præerit aliis: ſed mentem eorum ſemper ab hac elatione

elatione ad demiſſionem & ſummiſſionem traduxit.

IV. Poſtquam Chriſtus revixit, & quintâ apparitione ab vndecim Apoſtolis viſus eſt, certum eſt ſolis Apoſtolis afflaviſſe, Spiritum ſanctum, dediſſe & poteſtatem retinendi & remittendi peccata.

V. Certum eſt ſolis vndecim Apoſtolis, cùm ſe vltimâ, ſeu decimâ apparitione eis monſtravit, dixiſſe, vt prædicatum irent Evangelium omnibus creatis.

VI. Pariter certum eſt ex nullo ſolius Evangelij contextu intelligi poſſe, clarè & apertè iuriſdictionem, ſeu iudiciariam poteſtatem adverſus Eccleſiæ miniſtros ſive inſtituendos, ſive cum rei ſunt ſui officij interdicto ſubiiciendos, ſive ſacerdotiis prorſus ſpoliandos, aut ad quaſcumque lites dirimendas, aut quæſtiones iuris, & facti iudicio primæ aut vltimæ cognitionis definiendas, niſi ex poteſtate ligandi, aut ſolvendi ſoli Petro privatim promiſſâ, aut paſcendarum ovium commiſſione, aut ex poteſtate

poteſtate remittendi aut retinendi peccata Apoſtolorum communitati datâ colligere velimus. Sed cum hæc poteſtas ligandi, & ſolvendi aut retinendi peccata & remittendi, atque cura ovium paſcendarum ad ſingulos Presbyteros quos vocant parochos pertineat, quibus tamen poteſtas ſive iuriſdictio fori contentioſi noſtrâ ætate non competit; ex his iuriſdictio de quâ diſputamus Eccleſiæ, difficiliter probaretur, & omnibus perſpecta fieret. Igitur huius rei intelligentiam ex his quæ temporibus continuis Apoſtolorum confecta ſunt clariùs aſſequi debemus.

CAPVT II.

Apoſtoli & Diſcipuli, poſt Reſurrectionem Chriſti res Eccleſiæ in communi geſſerunt.

NON potis eſt clariùs perſpicere, quibus miniſtris Chriſtus Dominus rempublicam gerendam

dam commiſerit, quam ex eis quæ temporibus Apoſtolorum confecta ſunt. Quamvis enim in ſuis incunabilis abiecta videatur Eccleſia, in illius tamen adminiſtratione maximi animi homines ac fortiſſimi viri floruerunt. At nemini dubitandi locus relinquitur, quin penes eos maxima & ſumma rerum ac regiminis poteſtas ſit, qui pro temporis oportunitate ac negotiorum, præfectos ſeu præpoſitos inſtituunt, qui iura dant aliis, lites dirimunt, quæſtiones æquâ lance librant, ac ſupremo judicio finiunt. Iam ergo nos ſincerè ſcrutari juvat, atque inveſtigare diligenter, an principio rerum Chriſtianarum penes Apoſtolos ſolos imperium fuerit, & ad miniſterij ſocietatem diſcipulos ſeu presbyteros, Apoſtolatûs honore vacuos Chriſtus non adiunxerit. Ex his quippe mirificè perſpectum habebimus, vtrùm ad ſolos Epiſcopos iura dare populo Chriſtiano pertineat, adeo vt Presbyteros, quos vocant ſimplices, ad libitum aggregare

gregare & ab Eccleſiæ regimine arcere & amoliri ad nutum poſſint.

Legimus apud Sanctum Lucam, in libro quem ſcripſit ſub titulo Actuum Apoſtolorum : quod cùm Iudas Iſcatiotes qui Chriſti proditor fuerat, Epiſcopatu, & vitâ deſperatus deceſſiſſet, centuriata comitia habita ſunt, (cùm quidem eſſet ibidem hominum numerus ad centum viginti) vt in locum eius alter eſſet ſuffectus, iuxta Pſaltis regij vaticinationem, *Fiat commoratio eius deſerta, & non ſit qui inhabitet in eâ, & Epiſcopatum ejus accipiat alter.* At verò conſtat non ſolùm Apoſtolos ſuffragio ſuo ornaſſe Barſabam & Mathiam, ſed totius congregationis fratres eos ſtatuiſſe & elegiſſe. Quippe in medio diſcipulorum Petrus ſurrexerat, & ad centum viginti verba fecerat, cùm dixit. Oportere vnà cum Apoſtolis teſtem reſurrectionis fieri, ſeu ad vndecim ſuperſtites duodecimum cooptari, vnum eorum virorum, cum quibus Chriſtus conſuetu

Lucæ in Actib. Apoſt. cap. 1. Pſal. 68.

ſuetudinem habuerat, & toto tempore verſatus fuerat, à baptiſmate Ioannis ad eum diem quo ſubductus fuerat, & ſurſum ſublatus ad dexteram Patris.

Ex his igitur intelligitur, non ſolos Apoſtolos, ſed & alios Diſcipulos in partem adminiſtrationis à Chriſto vocatos fuiſſe; cùm electio & inſtitutio præfectorum qualis fuit electio Barſabæ & Mathiæ, ad centum viginti devoluta fuerit. Et ſtatuerunt duos, inquit textus " ſacer, Ioſeph qui vocabatur Bar- " ſabas, qui cognominatus eſt ju- " ſtus,& Mathiã & orantes dixerũt. " Tu Domine qui corda noſti om- " nium, oſtende quem elegeris ex " his duobus vnum accipere lo- " cum miniſterij huius, & Apoſto- " latus,de quo prævaricatus eſt Iu- " das,vt abiret in locum ſuum. Et " dederunt ſortes eis & cecidit ſors " ſuper Mathiam; qui poſtea ad " vndecim Apoſtolos cooptatus eſt. " Hoc eſt primum Eccleſiæ vniverſæ Concilium,cui ſanctus Petrus Collegij Apoſtolici vertex,vt loquũtur Patres,

Patres, non ſolùm interfuit ſed præfuit: in quo ab vndecim Apoſtolis, ſeu Epiſcopis cum aliis Diſcipulis ad centum viginti, ſanctus Mathias in locum Iudæ ſuffectus eſt, habitum Anno Domini XXXIV.

Verùm progrediente tempore jus Presbyterorum in regimine Eccleſiæ magis perſpectum habemus. Enimverò cum eodem anno, per eos dies creſcente Diſcipulorum numero, extiterit Græcanicorum adverſus Hebræos fremitus, quod eorum viduæ in quotidiano miniſterio prætermitterentur. Convocaverunt duodecim Apoſtoli multitudinem diſcipulorum vti diſpicerent ex iis ſeptem homines bene audientes, ſancto Spiritu, ſapientiáque plenos, quibus hoc negotium mandaretur, ipſi verò Apoſtoli in miniſterio ſermonis, & precibus eſſent aſſidui. Quod cùm placuiſſet vniverſis, elegerunt Stephanum virum fidei, Spiritúſque Sancti plenum, & Philippum & Prochorum & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam & Nicolaum

laum adventitium Anthiochenum, quos in Apoſtolorum conſpectu ſtatuerunt, qui comprecati manus eis impoſuerunt. Hinc patet clariſſimè diſſimilitudo inter Apoſtolorum & Presbyterorum poteſtatem. Quippe jus electionis tum Apoſtolis cùm Diſcipulis competit. At vero impoſitio manuum, ſeu conſecratio, quam ordinationem nuncupamus, ad ſolos Apoſtolos pertinet, quod in quibuſdam provinciis ab inſtitutis & moribus Eccleſiæ alienum non eſt, etiam peſſimâ ætate quâ vivimus, vbi electio miniſtrorum ad clerum ſpectat, ordinatio verò ſive conſecratio eſt penes Epiſcopos.

Hanc regiminis formam communé inter Epiſcopos & Presbyteros, confirmat vehementer continuata geſtorum Apoſtolicorum hiſtoria. Legimus enim capite 15. Actuũ quod cum ex Iudæâ digreſſi docerent fratres, niſi Moſaïco ritu circumciderentur non poſſe ſalvos fieri, & ortum eſſet cum Paulo & Barnabâ adverſus illos

non mediocre certamen, atque contentio, ſtatuerunt Paulo & Barnabæ, & aliis quibuſdam ex ſuis aſcendendum eſſe Hieroſolymam ad Apoſtolos & Presbyteros, ad hanc quæſtionem vltimo ac ſupremo iudicio abſolvendam. Cum enim extarent quidam eorum qui crediderant ex Phariſæorum ſectâ, qui eos circumcidendos dicerent, ad eam adducti ſententiam indicendum eſſe vt Moſis legem ſervarent: huius rei diſpiciendæ gratiâ Apoſtoli & Presbyteri convenere & magnâ contentione ortâ, poſtquã Petrus & Paulus & Barnabas peroravere, iverunt omnes in ſententiam Iacobi, ipsâque pronuntiatâ ab ipſomet Iacobo, decreverunt nihil amplius oneris imponere quàm hæc neceſſaria: abſtinendum
Act. 15. ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine & ſuffocato & fornicatione.

Similiter legimus Actuum x x i. capite, quod cùm ingreſſus eſſet Paulus vnà cum aliis ad Iacobum, adfuerunt ſeniores omnes ſive Preſbyteri

byteri; quibus ille ſalutatis, cùm narraviſſet ſingulatim quæ feciſſet Deus apud exteras nationes ſuo miniſterio, & dixiſſent illi quàm multi Iudæorum legis ſtudioſi accepiſſent auditione ipſum docere à Moſe deficiendum eſſe, congregatâ multitudine, & facto Concilio ſeniorum ſive Presbyterorum, quid facto eſſet opus ſtatutum eſt: & quæ Concilio quod anteceſſerat huic, confecta fuerant confirmata ſunt. Scilicet, abſtinendum ab immolatis ſimulachrorum & ſanguine, & ſuffocato & fornicatione. Act. cap. 15.
Neminem igitur hominem eſſe neceſſe eſt, quin apertè intelligat ex his omnibus jus adminiſtrandæ reipublicæ Chriſtianæ ad communitatem Epiſcoporum & Presbyterorum temporibus Apoſtolicis pertinuiſſe. Sive Eccleſiam æquabili conſortione poteſtatis eos gubernaſſe, veruntamen quæ adverſus hanc ſententiam obiectiones fieri ſolent, prætermittendæ non ſunt.

Capvt III.

Diluuntur obiectiones contra ſententiam, duobus capitibus quæ antecedunt, propoſitam.

Autor diſſertationis.

„ I. Chriſtus poſtquam revi-
„ xit ſatis ſignificavit, hoc
„ in animo ſuo eſſe, vt omnium
„ curam, & adminiſtrationem Ec-
„ cleſiæ ſuæ, ſolis Apoſtolis com-
„ mitteret; cum ex Actis intelliga-
„ mus familiariter vſum eſſe ſolis
„ Apoſtolis, per quadraginta dies
„ quibus in terris verſatus eſt ap-
„ parendo & de Dei regno diſſe-
„ rendo, ſive de Eccleſia ſua. Reſponſio facilis eſt, ſcilicet vehementer hallucinari huius obiectionis autorem, cùm æſtimat ſolos Apoſtolos familiariter allocutum eſſe Dominum poſt reſurrectionem. Reverà enim Acta Apoſtolorum mentionem faciunt apparitionis eius, quâ illis ſeipſum viventem multis indiciis exhibuit : ſed

Actor. cap. 30. v. 3.

ſed illis ſolis Chriſtum apparuiſſe non referunt : *Quibus & præbuit ſeipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Immò verò ex vltimo capite Sancti Ioannis perſpectum habemus, Ieſum apud Tiberiadis lacum ſe monſtraſſe Simoni Petro, Didymo & Nathanaëli, qui non erat ex duodecim Apoſtolis. Dubitandi autem locus non eſt; quin familiariter viſus ſit ab aliis quàm ſuis Apoſtolis, ſaltem quinque vicibus ex decem, quibus eum poſt ſupplicium apparuiſſe animadvertimus capite 1. huius diſſertationis. Nam primâ vice apparuit Mariæ Magdalenæ. *I.* 1.
II. 2. Secundâ, Mariæ eidem, Ioannæ, Mariæ Iacobi, & cæteris omnibus quæ cum eis erãt.
IV. 3. Quartâ, Cleophæ & alteri; duobus ſcilicet diſcipulis euntibus Emaüs.
VII. 4. Septimâ, Nathanaëli.
VIII. 5. Octavâ, pluſquam quingentis fratribus ſimul viſus eſt. Ergo ſi bene ratiocinatur diſſertationis author, & ex familiari Chriſti cum ſuis Apoſtolis

conlo

conlocutione de regno Dei,eiſdem privatim datam eſſe Eccleſiæ gubernationem concludat, eandem non denegatam Nathanaëli,Cleophæ, & quingentis fratribus,intelligat neceſſe eſt. Verùm vlteriùs hæc ratiocinatio procedere videtur, nam mulieres ipſæ quibus Chriſtus apparuit & quibuſcum illo ſancta familiaritas interceſſit ab Eccleſiæ regimine non debent arceri, quod nulli Theologo in mentem venit qui de poteſtate mentis non exiverit.

„ II. Solis Apoſtolis dixit Ieſus, „ ſicut miſit me vivens pater & „ ego mitto vos, quorum remiſe- „ ritis peccata remittuntur eis, & „ quorum retinueritis retenta ſunt. „ Non enim invenimus hoc dictũ „ aliis Diſcipulis.Ergo ſolis Apo- „ ſtolis regendã cõmiſit Eccleſiã. Ingenuè fatendũ eſt hanc poteſtatem ſolis Apoſtolis datam, ex Evangelio intelligi:ſi accommodanda iis videtur, ſolùm qui præſentes erant cum Chriſtus locutus eſt. Sed cum omnes Apoſtoli non

adeſſent,

adeſſent, Thomas enim vnus ex duodecim nomine Didymus, non erat cum aliis quando venit Ieſus, vt conſtat ex eodem capite 20. Evangelij Ioannis, de quo tamen non dubitandum eſt, quin hanc poteſtatem habuerit, vt obſervat S. Cyrillus apud Maldonatum in Adverſariis ad quatuor Evangelia: Non video cur abſentibus aliis Diſcipulis illam denegemus, nec quâ ratione abſentia Diſcipulis obſtet quæ Apoſtolo Thomæ non officiat.

III. Denique Apoſtolis, & " non aliis promiſit Chriſtus ſe ad- " futurum perpetuò, vſque ad finem " ſæculi, his verbis: Ecce ego vo- " biſcum ſum omnibus diebus vſ- " que ad conſummationem ſæculi: " vt intelligeremus ſoli collegio " Apoſtolico ſponſam opem ſin- " gularem, ne portæ Orci viribus " Eccleſiæ reſiſterent, & adverſus " eam prævalerent. Fateor libenter promiſſam à Chriſto ſingularem opem Collegio Apoſtolico, & Autor differt.

ſucceſſoribus Apoſtolorum vnà pro rebus Eccleſiæ in Concilio congregatis. Quoties enim ſunt duo vel tres congregati in nomine Ieſu, eſt in medio eorum. Sed perſpicere nequeo quâ ratione author probare poſſit ex hoc contextu Evangelij, promiſſam hanc opem divinam ſingulis Apoſtolis ſeparatim, adeò vt videatur eniti nos docere ſingulos Epiſcopos ſeorſim à Presbyteris habere jus adminiſtrandæ Eccleſiæ, & potentiam ſupra omnes, ab omni conſortio presbyterorum immunem & liberam. Quippè cùm palam, & ante oculos omnium conſtet pluribus Epiſcopis, ſeorſim & privatim ſuas Diœceſes adminiſtrantibus hanc opem divinam ſæpe defuiſſe, & certum ſit non futurum eſſe cum illis Ieſum vſque in conſummationem ſæculi.

Autor inſert. „ I V. Sanctus Paulus commiſit „ Timotheo curam Aſiæ minoris, „ conſtituens eum Epheſi vrbis E- „ piſcopum, quæ huius provinciæ

metro

metropolis erat. Titum reliquit " Cretæ, quæ nunc Candia nun- " cupatur, vt ea quæ deeſſent cor- " rigeret, & conſtitueret per civi- " tates Presbyteros ſicut ipſe præ- " ceperat. Hoc exemplo probat Au- thor diſſertat. ſingulos Epiſcopos habere jus in Presbyteros, & abſ- que eorum conſortio poſſe gu- bernare Eccleſiam. Certum eſt eo loci Sanctum Paulum per Preſ- byteros, intelligere Epiſcopos ip- ſos, quos Tito præceperat conſti- tuere in civitatibus Cretæ. Cùm ip- ſe verba ſua explicans paulò pòſt ſubjiciat: *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe*, & vitæ ducendæ leges Epiſcopis inſcribat; nam vt obſervat Eſtius *Ex coniunctione cauſali manifeſtum eſt quod de eodem loquatur*, & infra, *Monet ergo Titum Apoſtolus, vt per civitates conſtituat Presbyteros, Epiſcopos ſcilicet, ſingulos per ſingulas; nondum de Presbyteris qui non ſunt Epiſcopi ſollicitus: eo quod tunc plures haberi facile non poſſent, & unus qui Epiſcopus eſſet*

Ad Tit. cap. 1. v. 5.

cùm adiuncto ſibi Diacono ad omne Eccleſiaſticum miniſterium in illa adhuc fidelium paucitate ſufficeret. In hanc ſententiam adductus eſt Eſtius, ingeminans Sanctorum Patrum veſtigia. Quippe S. Chryſoſtomus hunc locum explanans S. Pauli, *Et conſtituas per civitates Presbyteros*, ait τὺς ἐπισκόπους ἐνταῦτα φησὶ καθὼς ἀλλα ὑμῖν εἴρηται. *Epiſcopos hîc intelligi vult, quemadmodum aliàs ſæpius diximus.* Et Theodoretus in hunc locum eiuſdem Epiſtolæ: *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe ſicut Dei diſpenſatorem.* καὶ ἐντεῦθεν δηλονὼς τοὺς πρεσβυτέρους ἐπισκόπους ὀνόμαζον, εἰρηκὼς ἵνα καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους ἐπήγαγε; δεῖ γὰρ τὸν ἐπίσκοπον ἀνέγκλητον εἶναι. *Hinc quoque manifeſtum eſt, quod Presbyteros nominabant Epiſcopos, cum enim dixiſſet vt conſtituas per civitates Presbyteros*, ſubiunxit: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe.* Cùm igitur planiſſimè conſtet ibi Apoſtolum mentionem facere Epiſcoporum, neutiquam verò Presbyterorum
rum

rum Epiſcopatu expertium, perperam ex hoc loco enititur demonſtrare diſſert. Autor Epiſcoporum ſupra Presbyteros authoritatem.

V. Circa annum Chriſti LVIII. " ſcilicet vigeſimo quinto, poſt- " quam Dominus ſurſum ſublatus " eſt ad dexteram patris, cùm San- " ctus Paulus Ieroſolymam rever- " teretur; & mare tranare vellet " non appulsâ navi ad littora vrbis " Epheſi, ne fortè diutius in Aſiâ " moraretur, excivit Miletum huius " provinciæ Epiſcopos, quos fla- " granti ſtudio hortatus eſt, vt at- " tenderent gregi, in quo eos ſpiri- " tus Sanctus poſuit Epiſcopos re- " gere Eccleſiam Dei: Quibus ver- " bis indicavit Epiſcopos à Spiri- " tu Sancto eſſe inſtitutos, & iure " divino ad capeſſendam Eccleſiam " ſeu gubernandam eſſe creatos. "

Epiſcopos iure divino eccleſiæ regimini præfectos eſſe nemo catholicus negabit: ſed ad illud caput tota devolvitur quæſtio quam hîc agitamus, vtrùm Presbyteri qui

Epiſcopi non ſunt, ſint omninò huius poteſtatis expertes atque authoritate vacui: hoc enim quoad eius fieri poteſt Autor diſſert. conatur demonſtrare. Verùm quàm infeliciter hoc opus illi procedat nō difficiliter lector perſpiciet, dummodo velit exiguo tempore ad interpolationes reſpicere, quibus ſacrum textum deformat. Enimverò falſum eſt Sanctum Paulum exciviſſe Miletū Epiſcopos, habet enim textus ſacer: *Vocavit majores natu Eccleſiæ*, ſive πρεσβυτέρους Presbyteros, eoſque civitatis Epheſinæ. *A Mileto mittens Epheſum vocavit majores natu Eccleſiæ.* Et cùm Epheſi Timotheum conſtituiſſet Epiſcopum, conſortes adminiſtrationis huius Eccleſiæ vocavit miniſtros, natu majores, qui certè omnes non erant Epiſcopi. Quamobrem non video cur dicat exciviſſe huius provinciæ Epiſcopos, nec quâ ratione vrbem Epheſum in provinciam converterit, niſi quia πρεσβυτέρους in Epiſcopos convertit.

Cùm

Cùm igitur eos tã flagranti oratione ad curam gregis accendit, & Epiſcoporum nomine nuncupat, quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, Presbyteros ſolùm alloquitur, & Epiſcopi nomen eis imponit ad teſtificationem officij, non dignitatis. Quippè ſolus Timotheus erat Epheſi Epiſcopus, nec plures ejuſdem vrbis erant Epiſcopi, in tantà raritate miniſtrorum, quà Eccleſia Chriſti ineunte ætate laborare videbatur. Iam ergo optimum erit argumenti mei genus quod ab adverſario ſumetur: nam cùm nemini dubium ſuboleat, quin eo loci Sanctus Paulus ad Presbyteros, quos vocant ſimplices, vrbis & Eccleſiæ Epheſinæ ſermonem faciat; cùm omnibus compertum ſit hanc exhortationem haberi ab Apoſtolo, vt eos inflammaret ad curam gregis vniverſi, cúmque eos appellitet Epiſcopos, ſive excubias, exploratores, & paſtores gregis Chriſti: Quis jam dubitandi locus re-

linqui poteſt,quin poteſtas gubernandæ Eccleſiæ ad Presbyteros pertineat jure divino, & quin à Spiritu Sancto poſiti ſint cuſtodes, vt Dei paſcant Eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Licet eoſdem Epiſcopis inferiores,& in demiſſiori gradu collocatos eſſe catholica fides nos doceat. Quippè cùm poteſtatis fideles conſignandi, & Clericos ordinandi vſuram non habeant.

Autor. diſſert. „VI. In Epiſtolâ primâ ad Timotheum, deſcribens conditiones in Epiſcopo requiſitas,ne temerè manus imponat, ait Apoſtolus:Oportere Epiſcopum ſcire domui ſuæ præeſſe. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Ex his concludit Author diſſert. curam integram atque vniverſam adminiſtrationem Eccleſiæ àconſortione Preſbyterorum liberam ad Epiſcopum pertinere.

Nemo vt iam ſæpè dixi negat

Catho

Catholicus, curam & adminiſtrationem Eccleſiæ ad Epiſcopos pertinere,eóſque propterea neceſſe eſſe, his ab Apoſtolo poſitis,conditionibus exornari: ſed pernego, eâ ratione ab honore adminiſtrationis Eccleſiæ Presbyteros excludi, & ad ejuſdem regimen ad nutum Epiſcoporum vocari, & ab eodem ad libitum arceri. Quippè ex eadem Sancti Pauli Epiſtolâ intelligimus Presbyteros non ſolùm intereſſe, ſed præeſſe Eccleſiæ. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Ep. 1. ad Timoth. cap. 5. Doctor Sorbonicus, qui vernaculâ linguâ Novum Teſtamentum vertit,Mõtibus impreſſum, cum approbatione Cameracenſis Archiepiſcopi, & Namurcenſis Epiſcopi, ſic traduxit, *Que les Preſtres qui gouvernent bien, ſoient doublement honorez.* Nec locus eſſe debet objectioni, quæ in quorundam mentem incurrit,Preſbyteros ſcilicet Vicariam tantùm ſub Epiſcopis habere poteſtatẽ penes quos eſt plenitudo authorita-

tis, cuius non vocati ab Epiſcopis Presbyteri expertes ſunt, adeò vt juriſdictionem conficere nequeant. Nam planum fit ex Actis Apoſtolorum, Presbyterorum mandata à Sancto Paulo obſervanda Eccleſiæ præcipi, ſicut & Epiſcoporum, ſive Apoſtolorum. *Confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire mandata Apoſtolorum & ſeniorum.* Quamobrem interpres Sorbonicus qui ſemper cogitata divina pari cum dignitate refert, æquabili candidâ ac dulci pollens eloquentiâ, ſic grato adverſum me labore vertit, *Leur ordonnunt de garder les reglemens des Apôres, & des Prêtres.*

Act. c. 15. v. 41.

Act. 15. v. 41.

Auth. diſſert.

VII. Reverà poſtquam Epiſ„copi in civitatibus collocati fuere „cum ſummâ juriſdictionis & au„thoritatis amplitudine, in ditio„nis ſuæ locis Presbyteros & Dia„conos initiarunt, vti populis „ſacra procurarent, & Evange„lium prædicarent, ſed ſemper „ſuo caracteri jure divino agglo„meratam juriſdictionem ſervave-

re;

re:quâ pro jure ſuo ad curã Pres- “
byterorum , & Diaconorũ excu- “
bare & advigilare, eos reprehen- “
dere, & de eis quæſtiones habere, “
cauſaſque eorum cognoſcere, & “
dijudicare poſſent. Quamobrem “
Sanctus Paulus præſcribit Timo- “
theo, quem ſacro Epiſcopatu ini- “
tiaverat, formulas ac jura, de ju- “
dicio Presbyterorum conſtituta: “
ipſumque vetat contra Presbyte- “
rum accuſationem admittere, “
niſi duo treſve teſtes ſint. Quod “
Sanctus Paulus adverſum Epiſco- “
pos Presbyteris nuſquam manda- “
vit, vt inquit Epiphan. hæreſi 75. “

At verò Formulas de judicio in Presbyterum ferendo neutiquam Sanctus Paulus præſcribit; ſed ſolùm prohibet admittere accuſationem contra Presbyterum, niſi duo tréſve teſtes ſint. Longè autem aliud eſt judicare, & accuſationem admittere. Non diffiteor tamen Epiſcopum eſſe judicem Presbyteri criminis poſtulati, ſed contendo Epiſcopum vnum, & ſolitarium non

eſſe judicē,& neceſſe eſſe vt ei ag-gregentur alij Epiſcopi & Presby-teri,vti cauſā ejuſmodi cognoſcat & dijudicet. Non aliā ratione Epiſ-copus ſedet judex Presbyteri,quàm alterius Epiſcopi, habito Conci-lio, ſcilicet Epiſcoporum & Pres-byterorum. Sed cùm Eccleſiæ Epiſ-copus ſingulari modo præſit,atque amplitudine presbyteris antecel-lat, ejus eſt primò ſtatimque accu-ſationem adverſus Presbyterum re-cipere aut refutare; de eo quæſtio-nem habere & inquirere: at verò litem & controverſiam dijudicare, niſi frequenti Senatu non poteſt. Quamobrem Sanctus Chryſoſto-mus hunc locum explicans: adver-ſus Preſbyterum accuſationem non accipias, hæc habet. Non ait, noli condemnare, ſed ne accuſationem, inquit, recipias, neque ad iudicium ſedeas. οὐκ εἶπε μὴ καταχρίνης ἀλλὰ μηδὲ δέξῃ κατηγορίαν μηδὲ ὅλως εἰς κρίσιν κατέλθῃς. Porrò quamvis certum ſit Sanctum Paulum hoc nunquam adverſus Epiſcopos præcepiſſe, vt

S.Chryſ. in Ep.1. ad Tim. cap. 5. hom. 15. pag. 1606.

notat

notat Epiphanius, à veritate tamen alienum non eſt, per Presbyterum ætate ſeniorem hîc intelligi, & eo nomine Epiſcopum comprehendi, vt nos docet Sanctus Chryſoſtomus homilia xv. in caput 5. Epiſtolæ 1. ad Timotheum, Πρεσβύτερον γὰρ ἐνταῦθα φησὶν οὐχὶ τὸ ἀξίωμα, ἀλλὰ τὴν ἡλικίαν. *Presbyterum enim hîc non ex dignitate, ſed ex ætate vocat.* Etenim, inquit Eſtius Commentario in caput 5. Epiſt. 1. ad Timotheum. *Si cautio quam hîc praſcribit adhibenda eſt in Presbytero accuſato; quantò magis in Epiſcopo? Erat autem Timotheus Epheſi, velut in Metropoli conſtitutus à Paulo, non ſolùm Presbyterorum, verùm etiam cœterorum Aſiæ Epiſcoporum, judex, apud quem illorum cauſæ tractari deberent. Et quidem de Epiſcopis maniſeſtè exponit Apoſtolum Sixtus II. Papa, Epiſtolâ 2.*

Hæreſ. 75.

CAPVT

CAPUT IV.

Canones Apoſtolici confirmant regimen commune Eccleſiæ inter Epiſcopos & Preſbyteros.

ETſi Canones, qui Apoſtolorum vulgò eſſe dicuntur, ab iis fuiſſe confectos non exiſtimem: quoniam tamen veteres Scriptores Eccleſiaſtici perhonorificè eorum mentionem facere ſolent, eoſdem aducere ad ſententiam noſtram tuendam, vel ad ejus confirmationem amplificandam non deſiſtemus. Cum præſertim inter eos Canones quinquageſimus ſeptimus perſpicuè nos doceat curam Cleri & populi Chriſtiani Presbyteris, & Epiſcopis æquabili conditione commiſſam, quippè cùm æqualiter omni officij genere & functione interdicat, ſi Cleri & populi curam prætermittant. *Epiſcopus*

pus vel Presbyter qui Cleri, vel Populi curam non gerit, & eos pietatem non docet ſegregetur, & ſi in ſocordia perſeverat, deponatur. Et trigeſimus quartus apertè vetet quicquam Epiſcopum agere, prætermiſsâ omnium ſententiâ ἀλλὰ μὴ δὲ ἐκεῖνος ἐπίσκοπος ἄνευ τῶν πάντων γνώμης ποιείτω τὶ· οὕτως γὰρ ὁμόνοια ἔσται καὶ δοξασθήσεται ὁ θεὸς διὰ κυρίου ἐν ἁγίῳ πνεύματι. *Sed nec ille* ſcilicet, Epiſcopus, *abſque omnium ſententiâ aliquid agat: ſic enim erit concordia, & glorificabitur Deus per Dominum Ieſum Chriſtum.* Attamen diſſert. Autor ad Epiſcoporum ſingulorum tuendam Monarchiam adverſus Presbyteros, eoſdem canones laudat, & licet genuinum Apoſtolorum fœtũ eſſe non putet, citat quadrageſimum canonem, quem ſummâ veneratione obſervandum pronuntiat, utpotè ex collectione juris Canonici trium priorum Eccleſiæ ſæculorum excerptum; cujus Autores fuere primi Eccleſiæ flamines, Apoſtolorum proximè ſucceſſores, vel

vel Apoſtolicorum virorum, quos Chriſti diſcipuli duces Eccleſiarum inſtituerant, & ſuo ſpiritu inflammaverant: *Presbyteri & Diaconi, ſine Epiſcopo nihil faciant. Nam* ſoli *Epiſcopo Chriſti populus commiſſus*, *&* ſolus *Epiſcopus pro eo eſt rationem redditurus.*

Canon. 40. Apo. Si Canon XL. his verbis cōceptus eſt noſtra cauſa finita eſt, & finem habet controverſia, totaque poteſtas & juriſdictio Eccleſiæ, penes ſolos eſt Epiſcopos. ſed quis non videat adulteratum, & corruptum canonem, qui cùm Epiſcopis tribuat curam populi & Cleri, ab eadem Presbyteros non amolitur, & penès ſolos Epiſcopos eſſe non definit, niſi ope aut fraude interpolationis adjunctâ particulâ *ſoli Epiſcopo*, & *ſolus Epiſcopus* quæ nec in textu græco, nec in Latino Dionyſij exigui occurrit, & in ſolâ mente Autoris diſſertationis exiſtit, οἱ Πρεσβύτεροι καὶ οἱ διάκονοι ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν ἐπιτελείτωσαν, αὐτὸς γὰρ ἐστὶν ὁ πεπιστευμένος τὸν λαὸν

τοῦ κυρίου, καὶ τὸν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν αὐτῶν λόγον ἀπαιτηθησόμενος. *Presbyteri & Diaconi ſine ſententiâ Epiſcopi nihil perficiant, ille enim eſt cui creditus eſt populus Domini, & pro animabus rationem redditurus.* Ità ne licet de bonis Græcis & Latinis ſcribere deteriùs, & ad ſolos Epiſcopos traducere, quod Presbyteris æquabili jure manifeſtè competit?

Ex Clementis Romani Epiſtolis, ex libro Hermam, ſub titulo Paſtoris, commune regimen inter Epiſcopos & Presbyteros, etiam probare non eſſet difficile. Sed his cœnoſæ antiquitatis quiſquiliis, pro veritate ſolâ conceptum opus exonerare juvat. Igitur ad genuinas Epiſtolas ſancti Ignatij, poſt Evodium Antiochiæ Epiſcopi ab Anno circiter Chriſti LXIX. & Romæ in amphitheatro à feris diſcerpti Kal. Februarij Anni Domini CVIII. examinandas mentem appellere opus eſt. Cùm præſertim de illarum veritate dubium diſſertationis Autori non ſuboleat.

CAP.

CAPVT V.

Expenduntur Teſtimonia Sancti Ignatij Martyris de regimine communi.

AD explicandam ſententiæ meæ rationem ex litteris ſancti Ignatij vt benè aggrediar, potiſſimùm ſcire neceſſe eſt, illas quæ omnium Doctorum manibus verſabantur ante annum Chriſti 1646. quo ex Codice manuſ. magni Ducis Florentiæ eas publicavit Iſacius Voſſius diverſæ partis ſcriptor, non ſolùm dubiæ litis inter eruditos fuiſſe, ſed adeò interpolatas & deformatas extitiſſe, vt prorſus Nothæ ac ſuppoſititiæ æſtimari debeant, nec vllâ ratione vtiles ad ſuſtentandam, aut tuendam veritatis cauſam. Ego verò de hoc diverſo Epiſtolarum Ignatianarum genere, monendum Lectorem cenſui, cùm eas Autorem diſſertationis

nis omni delectu, ac diſcrimine remoto laudare non pigeat.

At multùm facile eſt intelligere ex Epiſtolâ ad Policarpum, quæ inter eas refertur, æquabili ſubjectione ſummiſſos ætate ſancti Ignatij omnes fideles fuiſſe Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis. Legimus enim τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε ἵνα καὶ ὁ θεὸς, ἀντίψυχος ἐγώ τε ὑποτασσομένῳ τῷ ἐπισκόπῳ, Πρεσβυτέροις, διακόνοις. *Epiſcopo attendite, vt & Deus vobis, vnanimis ego cum eo qui collocatur ſub Epiſcopo, Presbyteris & Diaconis.*

Verùm ad commune regimen Eccleſiæ inter Epiſcopos, & Preſbyteros confirmandū nihil apud veteres ſcriptores fortius, aut nervoſius Sancti Ignatij omnibus Epiſtolis inveniri poteſt. Quippè ſemper ſum demiratus, vſque ad articulorum fragorem, diſſertationis Autorem, non penitùs indoctum, eas ad Monarchiæ Epiſcoporum amplitudinem tuendam citaſſe, quarum ope in parietinis reipubli-

cæ

cæ Chriſtianæ, quibus ætas noſtra conſumitur, dominandi libido, ſi quæ ſuperſtes ſit in Epiſcopis, non difficiliter diſturbabitur.

I. Diſſertationis Autor, ſic ait, „ Sanctus Ignatius ad martyrium „ incedens dixit Antiochenis, paſ- „ cite gregem qui inter vos eſt, do- „ nec Deus deſignaverit eum, qui „ principatum in vobis habiturus „ eſt. Vir Sanctus præcipit paſce- „ re gregem, donec Deus deſigna- „ verit Epiſcopum. Quippè cùm „ penès novum Antiſtitem cura „ gregis futura ſit, & vſura Preſ- „ byterorum, provt ſibi opus, & „ oportunum fore ad miniſterium „ judicabit. Donec Deus deſigna- „ verit eum, qui Principatum in „ vobis habiturus eſt. Epiſcopa- „ tum principatûs nomine nuncu- „ pat propter acceſſiones poteſta- „ tis, & juriſdictionis quæ ſunt pe- „ nes Epiſcopum ad Eccleſiam ca- „ peſcendam. Ex quibus opportu- „ nè Epiſcopus jura dat aliis, le- „ géſque inſcribit, & miniſtris in-

ferioribus

ferioribus pro gregis neceſſitate "
atque vtilitate officiorum genera "
& ſortes aſſignat.

Hæc Epiſtola ad Antioch. ſuppoſititia eſt. In ea fit mentio ſubdiac. qui diù poſt Ignatium ad Eccleſiæ miniſterium vocati ſunt: eam inter Ignatianas Sanctus Hieronymus non recenſet in catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, nec in Codice Manuſc. Florentino quo vſus eſt Iſacius Voſſius locum habet. Attamen ſi quâ fide digna videtur, propter lacinias antiquitatis, quibus in tenebris ſcintillat, ejus ope mirificè infringitur Autoris opinio, illiúſque pro Monarchiâ Epiſcopali conatus, nervíque debilitantur. Enimverò ex ea intelligimus: λαὸς ὑποτασσέσθω τοῖς πρεσβυτέροις καὶ τοῖς διακόνοις. *Populus ſubjiciatur Presbyteris & Diaconis.* Et cùm Epiſcopatum Principatum appellat, ſive Epiſcopum ait principari, neutiquàm ſignificat ditionem Principis, aut dominationem ab aliorum conſortione liberam;

ſed intelligit primam ſedem, ſcilicet antiſtitem eſſe priorem, ſeu primum & primarium in Eccleſia demonſtrat. *οἱ Πρεσβυτέροι ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμιν ἑώς ἀναδείξη ὁ θεὸς τὸν μέλλοντα ἄρχειν ὑμῶν*: hoc enim verbum *ἄρχειν* cujus indicativus modus *ἄρχω*. *Incipio*, atque *initium facio* ſonat, nuſquàm verò *Impero, Iubeo, præcipio, mando*, quod quidem Principibus ſæculi competit, at iis qui primas tenent in Eccleſiâ, & qui primores incedunt, nullâ ratione convenit. Quippè *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic*.

Autor differt. II, Iiſdem prorſus verbis hanc „ Eccleſiam commendat Romanis, quibus apertè ſignificat ſe „ exiſtimare ſolis Epiſcopis curam Eccleſiarum commiſſam, ac „ penes ipſoſmet ſolos juriſdictionem, & autoritatem totam „ exiſtere annexam caracteri Epiſcopali: mementote in oratione „ veſtrâ, ejus quæ in Syriâ Eccleſiæ, quæ pro me paſtore Deo „ utitur.

vtitur. Solus ipſe Ieſus Chriſtus "
vice Epiſcopi ſit,& veſtra chari- "
tas ad providentiam ejus ſe ad- "
jungat & adminiſtrationem. "

S. Ignat. Epiſt. ad Romanos.

Hæc verba de ſuo adjecit Autor diſſert. *Ad providentiam ejus ſe adjungat, & adminiſtrationem.* Vti vices Epiſcopi cum Chriſto charitati fidelium adimeret: reverà enim in Græco textu non ſunt. Ex quo ſolus quidem Chriſtus vice Epiſcopi intelligitur: ſed non ita ſolitarius, vt gubernationis omnis charitas fidelium expers ſit: *καὶ μόνος αὐτὸν ἐπισκοπήσει καὶ ἡ ὑμῶν εἰς αὐτὸν ἀγάπη.*

III. Enimverò ad efformandam Ideam autoritatis, quâ in "
Eccleſiâ potiuntur ſoli Epiſcopi, ſufficit legere alias ejuſdem S. "
Ignatij litteras quas ad Epheſios "
Magneſios, Trallenſes, Philadelphicos & Smirnæos ſcripſit. Veſter autem in carne Epiſcopus, "
inquit ad Epheſios, quem oro ſecundùm Chriſtum Ieſum vos diligere. Et infrà, etenim Ieſus "
Chriſtus

Autor diſſert.

„ Chriſtus incomparabile noſtrũ
„ vivere, Patris ſententiâ, vt & E-
„ piſcopi ipſi ſecundùm terræ fi-
„ nes determinati Ieſu Chriſti ſen-
„ tentiâ ſunt. Et paulò pòſt; feſti-
„ nemus igitur non reſiſtere Epiſ-
„ copo, vt ſimus Deo ſubjecti. Et
„ adhuc inferiùs. Omnem enim
„ quem mittit Dominus domûs in
„ propriam diſpenſationem, ſic
„ oportet nos ipſum recipere, vt
„ ipſum mittentem Epiſcopum:
„ igitur manifeſtum, quoniam vt
„ ipſum Deum oportet recipere.

Ex his Sãcti Martyris verbis, quatuor intelligenda ſunt. Primò Epiſcopum eſſe amandum, quod omnibus placet. Secundò Epiſcopos ſecundùm fines terræ Ieſu Chriſti ſent étiâ determinatos, quod nemo negat. Tertiò feſtinandũ eſſe non reſiſtere Epiſcopo vt ſimus Deo ſubiecti, quod etiam verum eſt. Quartò, recipiendum eſſe vt Dominũ domûs, quod iuſtum eſt. Sed non perſpicio quâ ratione, ex his ad ſolos

Epiſcopos autoritatem gubernandæ Eccleſiæ, remotis Presbyteris pertinere demonſtret diſſert. Autor. Nam etſi Autor ſit Ignatius, vt feſtinemus non reſiſtere Epiſcopo, non ait. Cùm ſolus expers conſortio Presbyterorum imperat Epiſcopus. Et cùm ait recipiendum eſſe, vt Dominum domûs: non dicit vt Deum, juxta interpolationem Autoris, ὀτὶ ὡς αὐτὸν τὸν κύριον δεῖ προσβλέπειν. Verùm enimverò docet apertè in eadem Epiſtolâ populos æquabili ſubjectione Presbyteris, & Epiſcopis debere eſſe ſubmiſſos: *Decens igitur eſt ſecundùm omnem modum glorificare Ieſum Chriſtum, qui glorificavit vos: vt in vna ſubjectione perfecti ſubjecti Epiſcopo & Presbyteris, ſecundùm omnia ſitis ſanctificati.* ἵνα ἐπιτασσόμενοι τῷ Ἐπισκόπῳ καὶ τῷ Πρεσβυτερίῳ. Et infrà ad finem Epiſtolæ. *Quoniam qui ſecundùm virum communiter omnes in gratiâ, ex nomine convenitis in vnâ fide, & in Ieſu Chriſto ſecundùm carnem ex genere David filio hominis, &*

Ignat. Ep. ad Epheſ. pag. 18

Ibidem pag. 29.

C *filio*

filio Dei in obedire vos Epiſcopo, & Presbyteris indiſcerptâ mente. εἰς τὸ ὑπακούειν ὑμᾶς τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τῷ Πρεσβυτερίῳ ἀπερισπάστῳ διανοίᾳ.

Igitur ex his apertiſſimè conſtat, quod ſi Epiſcopo non eſt reſiſtendum, id intelligitur cum acceſſione Presbyterij, cui etiam morem gerere neceſſe eſt, *indiſcerptâ mente.*

Autor. diſſert. „IV. Rogo vos, inquit, ad „Magneſios, vt diligenter Epiſcopum veſtrũ colatis vt ſolent Ec„cleſiæ Presbyteri eum colere.

Non eſt hæc verſio fidi interpretis, habetur enim in græco Textu, καὶ ὑμῖν δὲ πρέπει μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ τοῦ ἐπισκόπου: ἀλλὰ κατὰ δύναμιν Θεοῦ πατρὸς πᾶσαν ἐντροπὴν αὐτῷ ἀπονέμειν, καθὼς ἔγνων καὶ τοὺς ἁγίους Πρεσβυτέρους, οὐ προσειληφότας τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν.

Quæ ſic Latinè convertuntur: *Sed & vos decet non couti ætate Epiſcopi, ſed ſecundùm virtutem Dei Patris omnem reverentiam tribuere, ſicut agnovi Sanctos Presbyteros, non aſſumentes apparentem juniorem ordinem*

nem. Hæc fateor paulò obſcuriora ſũnt. Iudicet prudens Lector & eruditus, an ad opinionem Autoris diſſert. de Monarchiâ Epiſcopali deducant. At continenti ſermone hæc ejuſdem Epiſtolæ citat. *Quidam de ſubjectione Epiſcopo debitâ, ſemper loquentes non deſiſtunt omnia operari ſine ipſo; tales autem non bonæ conſcientiæ eſſe mihi videntur, quia ſuam voluntatem non aggregant ad dignitatem Epiſcopi in Conciliis religionis & pietatis, quemadmodum ex officio tenentur.*

Tota hæc verſio eſt interpolata, & ad cogitationem Autoris diſſert. incogitabili modo traducta. In Græco enim autographo legimus, πρέπον ἂν ἔστιν μὴ μόνον καλεῖσθαι Χριστιανὺς, ἀλλὰ καὶ εἶναι; ὥσπερ καὶ τίνες ἐπίσκοπον μὲν καλοῦσιν. χωρὶς καὶ αὐτοῦ πάντα πράττουσιν: οἱ τοι οὗτοι καὶ οὐκ εὐσεβεῖ δ' ιτοί μοι εἶναι φαίνονται διὰ τὸ μὴ βεβαίως καταπιντολὴν συναθροίσεσται.

Quæ ſic latinè meliùs leguntur: *Decens igitur eſt non ſolùm vocari Chriſtianos, ſed & eſſe: quemadmodum*

dum

dum quidam Epiſcopum quidem vocant, ſine ipſo autem omnia operantur. Tales autem non bonæ conſcientiæ mihi eſſe videntur propter non firmiter ſecundùm præceptum congregari. Ex his perſpecta habemus duo, ſcilicet Preſbyteros ſolere ſummo honore proſequi Epiſcopum, & non bonæ conſcientiæ eſſe eos, qui ſine Epiſcopo omnia operantur: quod certè vltrò fatendum eſt. Sed quis inde colligat eâ ratione Preſbyteros ab Eccleſiæ regimine arceri, cùm præſertim Sanctus Ignatius in eâ Epiſtolâ laudibus extollat multis Diaconum Sotionem, quia *Subiectus eſt Epiſcopo, vt gratia Dei & Preſbyterio, vt legi Ieſu Chriſti.* Cùm dicat Magneſiis, *In concordiâ Dei ſtudete omnia operari præſidente Epiſcopo in loco Dei, & Preſbyteris in loco Confeſſionis Apoſtolorum .... Nihil ſit in vobis, quod poſſit vos partiri, ſed vnanimi Epiſcopo*, non dicit, ſoli; ſed, *& præſidentibus* .... *Sic neque vos ſine Epiſcopo,*

S. Ignat. p. 31.

& Presbyteris aliquid operemini. Et tandem in fine Epiſtolæ : *Studete igitur firmari in dogmatibus Domini & Apoſtolorum : vt omnia quæcumque facitis proſperentur, carne, & ſpiritu, fide & charitate, in Filio & Patre, & Spiritu Sancto, in principio & in fine, cum dignè decentiſſimo Epiſcopo veſtro, & dignè complexâ ſpirituali coronâ Presbyterij veſtri.*

V. Autor diſſert. narrationem ſuam amplificat, & opinionem ſuam confirmat ex Epiſtolâ ad Tralleſios : *Recipiens igitur eam, quæ ſecundùm Deum, æquanimitatem, per ipſum, gloriatus ſum inveniens vos, vt cognovi imitatores Dei. Cùm enim Epiſcopo ſubjecti eſtis vt ſum Ieſu Chriſto, videmini mihi, non ſecundùm homines viventes, ſed ſecundùm Ieſum Chriſtum propter vos mortuum, vt credentes in mortem ipſius, mori effugiatis. Neceſſarium igitur eſt, quemadmodum facitis ſine Epiſcopo nihil operari.* Autor diſſert.

Ignatium olim Romæ in amphitheatro à beſtiis diſcerptum, no-

 bis

bis truncum ac laceratum inhoneſto vulnere putavit exponendum, diſſert. Autor. Legat enim ac perlegat contigua ejus Epiſtolæ verba: *Neceſſarium igitur eſt quemadmodum facitis, ſine Epiſcopo nihil operari vos, ſed ſubij i & Presbyterio, & Apoſtolis Ieſu Chriſti.* Et infrà: *Similiter & omnes revereantur Diaconos, vt mandatum Ieſu Chriſti, & Epiſcopum vt Ieſum Chriſtum exiſtentem filium patris, Presbyteros autem vt Concilium Dei & conjunctionem Apoſtolorum: ſine his Eccleſia non vocatur* .... *Qui ſine Epiſcopo, & Presbyterio, & Diacono operatur aliquid, non mundus eſt in conſcientiâ* .... *Valete in Ieſu Chriſto ſubjecti Epiſcopo, vt Dei mandato ſimiliter & Presbyterio.*

VI. *Veſtrum Epiſcopum cognovi non à ſeipſo, neque per homines poſſediſſe adminiſtrationem quam gerit pro vtilitate communi Eccleſiæ veſtræ, ſecundùm inanem gloriam, ſed in charitate Dei Patris, & Domini Ieſu*

ſu Chriſti, felices vos exiſtimo ſi Epiſcopi mandatis, ac regimini obtemperatis ....

..... quotquot enim Dei ſunt, & Ieſu Chriſti iſti cum Epiſcopo ſunt....

.... Teſtis autem mihi in quo vinctus ſum, quia à carne humanâ non cognovi, ſpiritus autem prædicavit dicens hoc, ſine Epiſcopo nihil faciatis ....

.... Vbi autem diviſio eſt & ira, Deus non habitat. Omnibus igitur pœnitentibus dimittit, ſi pœniteant in vnitatem Dei, & ſubjectionem adminiſtrationi Epiſcopi.

Hæc omnia ex Epiſtolâ Sancti Ignatij ad Philadelphicos citat diſſertationis Autor, ad confirmandam Epiſcoporum δεσποτείαν. Quibus antequam reſpondeam, obſervandum eſt tria omninò falſa, & ſuppoſititia de ſuo adjeciſſe. Primò, falſum eſt Sanctum Ignatium dicere Epiſcopum adminiſtrationem gerere pro vtilitate communi Eccleſiæ, licèt hæc propoſitio à veritate non ſit aliena. Sed ait poſ- Autor diſſert.

ſidere adminiſtrationem in commune convenientem κεκοινῆσθαι τὴν διακονίαν; τὴν εἰς τὸ κοινὸν αὐτῶν. Hoc eſt quam in communi gerit cum Concilio Presbyterorum, ſeu congregatione. Secundò, hæc quoque verba adſcititia ſunt: *Felices vos exiſtimo ſi Epiſcopi mandatis, ac regimini obtemperatis.* Tertiò denique, nunquam dixit Ignatius Deum dimittere pœnitentibus: *Si pœniteant in ſubjectionem adminiſtrationi Epiſcopi.* Sed contrarium prorſus aſſerit, ſcilicet, ſi pœniteant in vnitatem Dei & Concilium Epiſcopi: ἐὰν μετανοήσωσιν εἰς ἑνότητα θεοῦ καὶ Συνέδριον τοῦ ἐπισκόπου. Hoc eſt congregationem & cœtum, ſeu Collegium Presbyterorum; quod eſt Concilium Epiſcopi. Porrò hanc eſſe Sancti Ignatij mentem quis dubitet, ſi hanc Epiſtolam attentè perlegat? habet enim pagina 41. *Studete igitur vnâ gratiarum actione vti: vna enim caro Domini noſtri Ieſu Chriſti, & vnus calix in vnionem ſanguinis ipſius, vnum altare*

altare, & vnus Epiſcopus cum Preſbyterio & Diaconis conſervis meis: vt quod facitis ſecundùm Deum faciatis. Et infrà: *Confugiens Evangelio & carni Ieſu: & Apoſtolis, vt Presbyterio Eccleſiæ.* Et adhuc paginâ 43. *Clamavi in intermedio exiſtens, locutus ſum magna voce, Dei voce, Epiſcopo attendite, & Presbyteris & Diaconis.*

VII. Objicitur Epiſtola ad Smirnæos, in qua cultus Epiſcopi, & eidem obedientia plurimùm cómendatur, quam abjicere grande piaculum exiſtimamus. Autor diſſer.

At in hac Epiſtolâ hæc habentur. *Omnes Epiſcopum veſtrum ſequimini, vt Ieſus Chriſtus Patrem.* Ita eſt profectò nec dubitare licet, ſed etiam fatendum eſt diſſ. Autorem non dubitare, quin hæc pariter continuâ verborum ſerie legantur, *Et Presbyterium vt Apoſtolos.* Ex quibus nemo non intelligit Preſbyteros in conſortionem honoris, & poteſtatis Apoſtolicæ eſſe vocatos, atque adeò ad commune regi-

men Eccleſiæ, vnà cum Epiſcopis.

Non aliter de obtemperatione Presbyteris debitâ loquitur Policarpus, pro Chriſto paſſus 23. Februarij, Anno 170. ὑποτασσόμενοι τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις ὡς θεῷ καὶ χριστῷ, *Subditi Presbyteris & Diaconis, vt Deo & Chriſto.* Novis acceſſionibus cumulanda eſſe hujus Sancti Martyris verba nõ exiſtimo. Quippè cùm ſit teſtis omni exceptione major traditionis, ex qua communis inter Epiſcopos, & Presbyteros adminiſtratio Eccleſiæ demonſtratur.

Caput VI.

Presbyteri Eccleſiam regebant in Communi cum Epiſcopis; tempore Sancti Irenæi, Clementis Alexandrini, Tertulliani & Origenis.

Obiit 28. Iunii, Anno 201.

IN eam nos adducit ſententiam Sanctus Irenæus libro 3. adverſus

ſus hæreſes, capite 2. *Cùm autem ad eam iterum traditionem quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſiones Preſbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur provocamus eos, Valentinum & Marcionem, adverſantur traditioni dicentes, ſe non ſolùm Presbyteris, ſed etiam Apoſtolis exiſtentes ſapientiores ſinceram inueniſſe veritatem.* & libro 4. capite 43. *Quapropter eis qui in Eccleſia ſunt, Presbyteris obaudire oportet.* Et in Epiſtolâ ad Florinum relatâ apud Euſebium hiſtoriæ Eccleſ. lib. 5. cap. 20. *Hæc dogmata, hi qui ante nos vixere Presbyteri, qui etiam Apoſtolorum Diſcipuli extiterant, nequaquam tibi tradiderunt.* Ex quibus apertè conſtat Irenæum exiſtimaſſe Presbyteros exiſtere cuſtodes doctrinæ & fidei.

Clemens Alexandrinus libro 6. Stromatum pag. 481. ad eam cauſam ſe adjungere videtur. *Nam hîc quoque in Eccleſiâ progreſſiones Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, ſunt vt arbitror imitationes gloriæ Angelicæ, & illius œconomiæ ac* Obiit Anno Chriſti 220.

ac diſpenſationis, quam dicunt Scriptura illos expectare, qui inſiſtentes veſtigiis Apoſtolorum vixerunt in perfectione Iuſtitiæ, convenienter Evangelio. Et libri 7. pag. 504. *Cultus enim qui verſatur circa res hominum, vnus quidem, eſt qui reddit meliores; alius verò qui in miniſterio occupatur: Medicina quidem corpus: Philoſophia verò animam reddit meliorem, ac parentibus quidem à filiis, magiſtratibus autem ac Principibus ab iis qui parent eorum ditioni, occupata in miniſtrando accedet vtilitas: ſimiliter autem in Eccleſiâ eam quidem quæ facit meliores Presbyteri ſervant in Eccleſiâ; eam autem quæ ſervit Diaconi.* Ex quibus patet magnum non fuiſſe inter Epiſcopos, & Presbyteros eâ ætate diſcrimen, & totam Eccleſiæ adminiſtrationem in duo genera Presbyterorum, ſcilicet & Diaconorum fuiſſe diſtractam.

Obiit Anno Christi 215. Ab hac etiam mente alienior non eſt Tertullianus, quamvis vt obſervat Autor diſſert. Dicat libri

bri de Bapt.c.17.*Dandi quidẽ jus habet ſũmus Sacerdos,qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi , non tamen ſine Epiſcopi autoritate , propter Eccleſiæ honorem , quo ſalvo ſalva pax eſt.* Hoc enim ſupremam autoritatem ſolitario non tribuit Epiſcopo ab omni conſortio, & ſocietate Presbyterij liberam. Immò verò facundiſſimus Afer Apologetici , capite 39. nos docet , Preſbyteros Congregationi fidelium præſidere. *Præſident probati quique ſeniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti* : Certum quippè eſt per ſeniores qui præſident ſtylo Apoſtolico intelligi Presbyteros. *Qui benè præſunt Presbyteri*,id eſt,ſeniores in Textu græco. Et cùm dicitur Actorum , capite 15. *Præcipiens cuſtodire mandata Apoſtolorum, & Seniorum*, Verſio gallica impreſſa Montibus habet :*Des Apôtres, & des Prêtres.* Ergo qui præſidebant erant Presbyteri, ſeu Seniores. Euchariſtiæ Sacramentum , inquit idem Tertullianus , libri de coronâ mili

militis, capite 3. *Et in tempore victûs, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præſidentium ſumimus*, id eſt, Presbyterorum: loquens de abjecto presbyterorum ab hæreticis cultu, ait de præſcriptionibus, capite 42. *Nec ſuis præſidibus reverentiam noverunt*. Idem de fugâ in perſecutione capite 11. indicat totum Clerum præſidere, *Porrò ſi eos qui gregi præſunt, fugere, cùm lupi irruunt, non decet, immò non licet*. Nec obſtat Tertullianum Epiſcopum appellare ſummum Sacerdotem. Quid eſt enim Epiſcopus niſi primus Presbyter hoc eſt ſummus Sacerdos? inquit Autor quæſtionum Veteris, & Novi Teſtamenti, quæſt. 101.

De Bap-tiſmo, cap. 17.

Origenes homilia 7. in Hieremiam, cùm ipſe Preſbyter eſſet, quem Sanctus Hieronymus poſt Apoſtolum Eccleſiarum magiſtrũ appellare non veretur, ſic ait, *Nos qui putamur aliquid eſſe, id eſt qui in Clericatûs vobis ordine præſidemus*.

Obiit Anno 254. ætatis 69.

demus. Ex quibus planiſſimè conſtat ipſum anteceſſorum veſtigia ingeminaſſe.

Capvt VII.

Sententiæ Sancti Cypriani, de communi Eccleſiæ regimine Ἀνάκρισις.

HÆrere videtur diſſertationis Autor, dum explicat Sancti Cypriani mentem; & ad cauſam tuendam anteceptæ animo opinionis ſanctiſſimi præſulis, ac Martyris rationes adjungere conatur.

Attamen perfrictâ fronte jus ſuum, ita vt inſtituit, obfirmato pectore perſequitur, nec præconceptam opinionem deſerere ſapientis hominis eſſe putat. Ergo cùm verba Epiſtolæ 4. Presbyteris & Diaconis ſibi objicit. *Peto vos pro fide, & religione veſtrâ, fungamini illic, & veſtris partibus & meis; vt nihil vel ad diſciplinam, vel ad diligen*

ligentiam deſit. Et quintæ : *Tum deinde, vt ea quæ circa Eccleſiæ gubernaculum vtilitas communis expoſcit, tractare ſimul, & plurimorum conſilio examinata limare poſſimus.* Ex quibus commune regimen Eccleſiæ inter Epiſcopos, & Presbyteros manifeſtè perſpectum habemus. In his aliquam difficultatem quibuſdam videri poſſe certò affirmat, & poſtquam continenti oratione multa verba dedit, quibus multâ ſcientiæ ſuæ teſtificatione ſignificat, ſe non dubitare quin Presbyteri cum Epiſcopis olim rempublicam Chriſtianam geſſerint; adeò vt nihil inconſulto Clero in Eccleſiâ confectum fuiſſe videretur: quoad ejus fieri poteſt aſſerit, & firmiter pronuntiat ita ſe rem habuiſſe, non ex impoſitâ neceſſitate; ſed ex charitate & humilitate Epiſcoporum, qui primis temporibus ad conſilium gubernandæ Eccleſiæ Presbyteros excivere, & in partem miniſterij vocavere. Porrò id potiſſimùm confirmare

Autor differt.

mare poſſe putat ope Sancti Cypriani, cujus tamen opinionem fuiſſe de Eccleſiæ regimine ſingularem æſtimat, & inſtitutorum ejus ac rationum genus diſſimilitudinem habuiſſe cum adminiſtratione Eccleſiæ, quam reliqui continuo tempore geſſerunt Epiſcopi; quamque principio rerum Chriſtianarum Deum inſtituiſſe defendimus communem inter Epiſcopos & Presbyteros; ipſe verò diſſert. Autor ad ſolitarios Epiſcopos pertinuiſſe propugnat.

Iam igitur ad perfectam ſententiæ Sancti Cypriani ἀνακρισιν. Duo expendenda ſunt. Primò, an Sanctus Cyprianus tales eſſe crediderit Epiſcopos, Monarchicâ ſcilicet poteſtate præditos, qui ſoli jura darent Presbyteris, ac reliquis Eccleſiæ miniſtris; vel communi conſilio cum Presbyteris, ex impoſitâ neceſſitate eam regerent, & non ex charitate, eâ regiminis ratione gubernarent. Dicit enim diſſert. Autor. *Nullus eſt veterum patrum, ex*

cujus

cujus lucubrationibus vehementius exurgat, ſeu majori cum luce ſcintillet poteſtas ac juriſdictio Epiſcoporum adverſus Clerum, quam ex litteris Sancti Cypriani. Secundò, an Sententia Sancti Cypriani de communi regimine ſit ſingularis, & ab inſtitutis veterum Epiſcoporum aliena.

„ I. Intelligimus, inquit diſſert. Autor, Sanctum Cyprianum „ non deſtitiſſe ab adminiſtratione „ Eccleſiæ ſuæ, etiam cùm exularet, ſed eam gubernaſſe acceptis à Clero ſuo præſcriptionibus „ ſeu commentariis. Presbyteros „ quoque ac Diaconos, quib. curā „ in abſentia commiſerat, præter „ ejus mandata quicquam facere, „ aut decernere non auſos eſſe: habitâ ratione litterarum quas ab „ ipſis Presbyteris acceperat, modum quo agere debeant adverſum Catheeumenos Cyprianus „ illis præſcribit; nec non fideles „ lapſos tempore perſecutionis, „ qui verſabantur in diſcrimine „ mortis,

mortis, & pro quibus confeſſo- "
res rogationes ſcripſerant. Citat- "
que in margine Epiſtolam 12.
& 13.

Nihil minùs verum eſt, aut magis incogitabile videtur quam quod in mentem incurrit Autoris. Quippè ex his Epiſtolis S. Cypriani commune regimen Eccleſiæ planiſſimè perſpicitur. Queritur Epiſtolâ duodecimâ S. Cyprianus quod Presbyteri litteras nullas reſcripſerant ad eas, quas multas ipſis frequenter miſerat abſens ab Eccleſia ſua; nec aliam querimoniæ rationem affert, præter neceſſitatem conſilij Presbyterorum ad regimen Eccleſiæ. *Miror fratres chariſſimi ad multas Epiſtolas meas, quas ad vos frequenter miſi nunquam mihi reſcripſiſſe, cùm fraternitatis noſtræ, vel vtilitas vel neceſſitas ſic vtique gubernetur, ſi à vobis inſtructi rerum gerendarum conſilium limare poſſimus.* Epiſtolâ verò 13. de iis qui ad pacem feſtinabant, cùm res gravis eſſet momenti in communi Epiſco-
porum

porum, & Presbyterorum Concilio, & cœtu tractandam eſſe exiſtimat. *Legi litteras veſtras, fratres chariſſimi, quibus ſcripſiſtis ſalubre conſilium veſtrum, non deeſſe fratribus noſtris, vt temerariâ feſtinatione depoſitâ religioſam patientiam Deo præbeant: vt cùm in vnum per ejus miſericordiam venerimus, de omnibus ſpeciebus, ſecundùm Eccleſiaſticam diſciplinam tractare poſſimus.* Et inferiùs in eadem Epiſtolâ, *Hoc enim & verecundiæ & diſciplinæ, & vitæ ipſi omnium noſtrûm convenit: vt præpoſiti cum Clero convenientes, præſente & ſtantium plebe, quibus & ipſis pro fide & timore ſuo honor habendus eſt, diſponere omnia conſilij communis religione poſſimus.* Suam igitur quoad ejus fieri poterat Eccleſiam regebat exul Cyprianus, ſed cum Conſilio Cleri, ſine quo paſſim fatetur, vt infrà videbimus, ſe nihil prorſus poſſe.

II. „ Acceptis etiam & lectis „ Presbyterorum ſuorum litteris, „ inquit Autor diſſert. illis præſcripſit

ctipſit quid facto eſſet opus ſu-" per negotio duorum Subdiaco-" norum,& vnius Acolyti,qui poſt " lapſum ad Eccleſiã erant reverſi; " & juſſit eorum admiſſionem dif-" ferre; ſeu procraſtinare donec ad " ſedem rediret, interimque illis " ſorte penſionis aliis dari ſolitâ " interdixit.

Autor differt.

S.Cypr. Ep.38.

Hanc litem non auſus eſt dirimere Sanctus Cyprianus, quia illi non potuit ſe ſolum Iudicem dare, cùm multi de Clero adhuc abſentes eſſent. Adeóque ab ejus animo longè abfuit hæc cogitatio præſcribendi quid facto eſſet opus ſuper tanti ponderis negotio. *Deſideratis quoque,inquit, vt de Philumeno,& Fortunato hypodiaconis, & Favorino acolyto,qui medio tempore receſſerunt, & nunc venerunt, quid mihi videatur reſcribam. Cui rei non potui*, non ait, non debui *) me ſolum judicem dare, cùm multi adhuc de Clero abſentes ſint, nec locum ſuum, vel ſerò* repetendum *putaverunt, & hac ſingulorum tractanda ſit, & limanda plenius*

nius ratio non tantùm cum Collegis meis, ſed & cum plebe ipſâ vniversâ. Eadem Epiſtolâ commune regimen apertiſſimè confirmat; quippè cùm faciat mentionem de lapſis, qui pacem Eccleſiæ obtinere feſtinabant, hoc pariter negotium ad comitia generalia remittit. *Interea ſi quis immoderatus & præceps, ſive de noſtris Presbyteris vel Diaconibus, ſive de Peregrinis auſus fuerit ante ſententiam noſtram,* (non dixit meã) *communicare cum lapſis, communione noſtrâ arceatur, apud omnes nos cauſam dicturus temeritatis ſuæ, quando in vnum, permittente Domino, convenerimus.*

Objiciet forſan diſſert. Autor, ſi hæc refutatio olim in manus ejus incurrat eo loco S. Cypriani nimis probari, ex quo intelligimus ad commune regimen Eccleſiæ plebem eſſe accerſendam. *Non tantum cum collegis meis, ſed cum plebe vniversâ.* Sed nemini lectioni Cypriani aſſueto dubium ſubolere poteſt, quin prorſus diverſâ ratione quæ-

ſtiones

ſtiones coram plebe & Clero agitatæ fuerint. Opus enim erat conſenſu plebis; Conſilium verò Preſbyterorum erat neceſſarium, vt patet ejuſdem S. Martyris Epiſtolâ 5. quam Presbyteris, & Diaconibus ſcribit. *Ad id verò quod Scripſerunt mihi Compresbyteri noſtri Donatus & Fortunatus, Novatus & Gordius, ſolus reſcribere nihil potui* (non dicit, non debui) *quando à primordio Epiſcopatûs mei ſtatuerim, nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis meâ privatim ſententiâ gerere. Sed cum ad vos, per Dei gratiam venero, tunc de iis, quæ vel geſta ſunt vel gerenda, ſicut honor mutuus poſcit in commune tractabimus.*

Licét negare nolim hunc conſenſum plebis aliquando appellari judicium, vt patet ejuſdem Cypriani Epiſtolâ 11. Fratribus in plebe conſiſtentibus ſcriptâ: *Tunc examinabuntur ſingula præſentibus, & judicantibus vobis.*

III. Cùm quidam S. Cypriani Presbyteri, non obtentâ ab « Autor. « diſſert.

„ eo licentiâ auſi fuiſſent reconci-
„ liare lapſos quoſdam tempore
„ perſecutionis; numquid non ip-
„ ſis vehementer exprobrat obli-
„ vionem amplitudinis ſuæ & loci
„ quem in Eccleſiâ occupant? E-
„ piſtolâ 9. quod enim non peri-
„ culum metuere debemus de of-
„ fenſa Domini; quando aliqui de
„ Presbyteris, nec Evangelij nec
„ loci ſui memores, ſed neque fu-
„ turum Domini judicium, neque
„ nunc ſibi præpoſitum Epiſco-
„ pum cogitantes, quod nunquam
„ omninò ſub anteceſſoribus fa-
„ ctum eſt cum contumelia, & con-
„ temptu præpoſiti totum ſibi vin-
„ dicent? atque vtinam non con-
„ tra fratrum noſtrorum ſalutem
„ ſibi omnia vindicarent?

Hinc patet, S. Cyprianum crimi-nari Presbyteros vſurpatæ, ſeu vin-dicatæ totius juriſdictionis. *Totum ſibi vindicent. Sibi omnia vindicarent.* Sed eadem Epiſtolâ commune re-gimen nos docet. Enimverò ait, his temporibus jus communicatio-

nis

nis accipi per manûs impoſitionem Epiſcopi & Cleri; appellat Presbyteros Præpoſitos & præeſſe. Subjicit. *Et per manûs impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus communicationis accipiant .... erunt autem rei qui præſunt, & hoc fratribus non ſuggerunt, vt inſtructi à Præpoſitis faciant omnia cum Dei timore.*

Sed objicit diſſ.rt.Autor num-" quid non ipſiſmet Presbyteris ſi-" gnificat fore, vt eis interdicat " omni officio, niſi ab hac contra " ſuam authoritatem molitione " deſiſtant. *Scientes quoniam ſi vltrà in iiſdem perſeveraverint vtar eâ admonitione quâ me vti Dominus jubet, vt interim prohibeantur offerre.* Itane licèt Sanctiſſimum Martyrem inhoneſto vulnere truncum ante oculos exponere, & verba ſequentia,quæ communem adminiſtrationem apertè demonſtrant omittere, vel expungere? *Acturi apud nos, & apud Confeſſores ipſos, & apud plebem univerſam cauſam ſuam, cum Domino permittente in ſinum matris*

Eccleſiæ colligi cœperimus.

Autor Test. „ IV. Scripſit etiam Sanctus „ Cyprianus Confeſſoribus, & „ Martyribus, ne ad alium quàm „ ſeipſum ſpectarent pro gratiis „ obtinendis, & ne ſuſtinerent lu- „ dificationes Presbyterorum, qui „ omni Dei timore remoto, & cultu Epiſcopi, *Nec Epiſcopi honorem*, tantùm ſibi arrogabant, vt prætermiſsâ Epiſcopi licentiâ lapſis reconciliationem gratiæ concederent. *Petitiones & deſideria veſtra Epiſcopos ſervent.*

Falſum eſt ſcripſiſſe Cyprianum nè ad alium ſpectarent quàm ſeipſum pro gratiis obtinendis, cùm ex hac Epiſtolâ facile intelligatur, totum hoc reconciliationis negotium debere in Concilio Cleri examinari & dirimi. *Cum perſecutione finitâ convenire in vnum cum Clero, & recolligi cœperimus.* Atque etiam conſtet hanc reconciliationis gratiam dari per impoſitionem manuum non ſolius Epiſcopi, ſed Epiſcopi & Cleri. *Ante manum ab Epiſco-*

Epiſcopo, & Clero impoſitam: At verò non erat poſitum in poteſtate quorumdam Presbyterorum reconciliare lapſos inconſulto Epiſcopo, & ejus prætermiſſâ licentiâ; quod in præſenti negotio contigerat; de quo queritur acerbè Cyprianus, à cujus mente longè remota ſemper fuit ſolitariæ ſeu Monarchicæ juriſdictionis, ac poteſtatis ambitio; cùm in hac ipſamet Epiſtolâ Confeſſores, & Martyres, non ſolùm pacis dandæ lapſis ſequeſtros, verùm etiam judices agnoſcat. *Vos quoque ſollicitè, & cautè petentium deſideria ponderetis, utpotè amici Domini, & cum illo poſtmodùm judicaturi inſpiciatis, & actum & opera ſingulorum; ipſorum quoque delictorum genera, & qualitates cogitetis; ne quod abruptè & indignè, vel à vobis promiſſum, vel à nobis factum fuerit, apud gentiles quoque ipſos Eccleſia noſtra erubeſcere incipiat.*

V. Numquid non præcepit « etiam plebi ſuæ, lapſis denuntia- « re ſuum reditum, & eorum Pres- « Autor. differt.

„ byterorum inconſideratæ procu-
„ rationi non confidere, qui pote-
„ ſtatem ſuo caracteri individuam
„ vſurpabant? *Nec Epiſcopo hono-rem Sacerdotij ſui, & cathedræ reſer-vantes.*

S. Cypr. Ep. 11.

Non criminatur S. Cyprianus eos Presbyteros vſurpatæ juriſdi-ctionis individuæ caracteri Epiſco-pali, ſed immò poteſtatis atque au-thoritatis quæ Epiſcopo, & Clero indiviſim adhærebat, atque ab iis diſtrahi neutiquàm poterat. Cri-men igitur eorum Presbyterorum verſabatur in reconciliatione lap-ſorum, quam conceſſerant incon-ſulto Epiſcopo & Clero, & præ-miſsâ ab iiſdem impoſitione ma-nuum. *Nec ad communicationem ve-nire quis poſſit, niſi prius illi ab Epiſ-copo & Clero manus fuerit impoſita.* Sed reſpondeat quæſo diſſertatio-nis Autor, ſi Sanctus Cyprianus ſe ſolitarium judicem hujus quæſtio-nis, quæ de reconciliatione lapſo-rum agitabatur, exiſtimaſſet, quid neceſſe erat hanc ad Concilij fo-rum remittere?

Audi..ni

Audiant quæſo, inquit Cyprianus, *patienter, conſilium noſtrum, expectent regreſſionem noſtram; vt cùm ad vos per Dei miſericordiam venerimus, convocati Epiſcopi plures, ſecundùm Domini diſciplinam, & Confeſſorum præſentiam, beatorum Martyrum literas & deſideria examinare poſſimus.* Quid opus erat ſuper hoc negotio ſcribere ad Clerum, ad Martyres, & Confeſſores? *De hoc ad Clerum, & ad Martyres, & Confeſſores literas feci, quas vtráſque legi vobis mandavi.*

VI. Potuitne quicquam eum " à cœpto primum ſententiæ curſu " dimovere, quâ hujus quæſtionis " judicium ad Epiſcoporum Conci- " lium remiſerat poſt ſartam te- " ctamque Eccleſiæ pacem? Nun- " quid non etiam ſuis Presbyteris, " ſi ſecus fecerint omni commu- " nione Eccleſiæ interdixit? *Interea, ſi quis immoderatus & præceps " ſive de noſtris Presbyteris vel Dia- " conibus, ſive de Peregrinis auſus " fuerit*

Autor diſſert.

S. Cypr. Ep. 28.

„ fuerit ante ſententiam noſtram communicare cum lapſis, à communione „ noſtra arceatur.

Quid mirùm ſi perpetua fuerit Sancti Cypriani in hac ſententiâ permanſio, cùm ſe ſolum judicem tanti negotij dare, in ſua poteſtate poſitum eſſe non putet; vt oſtendimus ſuprà numero 2. Igitur tantùm abeſt vt ex hoc propoſito ſancti Præſulis, Monarchica poteſtas intelligenda ſit; cùm ipſum ſit optimum communis regiminis argumentum; de quo certè dubitandi locus diſſertationis Autori nullus relictus fuiſſet, ſi trunca ac mutilata verba Sanctorum Patrum numquam citaſſet. Quippè poſt hæc verba *A communione noſtra arceatur*, hæc, quæ continuâ ſerie habentur, non prætermiſiſſet: *Apud omnes nos cauſam dicturus temeritatis ſuæ, quando in vnum permittente Domino convenerimus.* Ex quibus juris dicendi, ac lites judicio terminandi facultas ad Epiſcopos in communi pertinere luce meridianâ clariùs

clariùs perſpicitur.

VII. Numquid non privatim « mandata dedit duobus Epiſco- « pis, & duobus pariter Presbyte- « ris ſuis Vicariis generalibus, de « Eccleſia ſua viſitanda : & perſpi- « cienda pauperum egeſtate, ſeu « agnoſcendo quo ſtatu & loco eſ- « ſent. De expungendo nomine « eorum qui ejus benevolentiâ ex « inopiâ emerſerant, & victum « aliquo artificiolo quærere pote- « rant; & de ratione reddenda eo- « rum qui merebantur vt ordinibus « initiarentur, aut ad Eccleſiæ dig- « nitates promoverentur. *Cumque* « *ego vos pro me Vicarios miſerim*, « inquit Cyprianus, *Vt jam nunc* « *ego cui cura incumbit, omnes optimè* « *noſſem, & dignos quoque ad Eccle-* « *ſiaſticæ adminiſtrationis officia pro-* « *moverem.* «

Vicarios generales numquam habuit Sanctus Cyprianus, & ſi quoſdam ad hoc officij genus deſtinaſſet, Epiſcopos eligere non ſolùm inſanum, ſed & abſurdum

 fuiſſet

fuiſſet. Quippè ejuſmodi hominum genus, quod eſt gravis Epiſcoporum Veterni ſubſidium, diù poſt tranſacta S. Cypriani tempora, inventum eſt. De viſitanda ſimiliter Eccleſia mandatum nemini homini dedit, & de hac viſitatione ne verbum quidem in Epiſtolâ 30. quam citat diſſertationis Autor. Nec minùs falſum eſt, quod ait, de expungendo nomine eorum, qui emerſerant ex inopia, & victum aliquo artificiolo quærere poterant. Licèt enim hoc ad regimen Monarchicum Eccleſiæ nullâ ratione conducere poſſit; Cypriani mentem non aſſequitur diſſertationis Autor. Quippè S. Cyprianus de expungendo nomine pauperum, qui emerſerant, nullam mentionem facit, ſed immò potiùs de expungenda neceſſitate Fratrum ſumptibus Eccleſiæ; etiam eorum qui vellent aliquod artificium exercere per aliquod additamentum, ſeu per novas acceſſiones eleemoſinæ, vt eorum deſideria expleri viderentur.

tur. *Cúmque ego vos pro me Vicarios miſerim, vt expungeretis neceſſitates Fratrum noſtrorum, ſumptibus Eccleſiæ; ſi qui etiam vellent ſuas artes exercere, additamento quantum ſatis eſſe, deſideria eorum juvaretis.* Reliquum quod eſt de reddendâ ratione eorum qui merebantur, vt ad ordines promoverentur, non ſpectat ad juriſdictionem de quâ diſputamus, ſed ad ordinationem quam penes ſolos Epiſcopos eſſe inficias ire nolim: Licèt S. Cyprianus hoc jus ſibi cum detrimento Cleri competere non dicat. Cùm præſertim aſſerat manifeſtè initio Epiſtolæ 32, ad Clerum & plebem de Aurelio Lectore ordinato, ſolere ſe Clerum conſulere; & mores, ac merita ſingulorum communi conſilio diſquirere, & examinare. *In ordinationibus clericis Fratres chariſſimi ſolemus vos ante conſulere, & mores ac merita ſingulorum conſilio ponderare.* Et cum eâ vice initiatus eſſet Aurelius non convocato Cõcilio Cleri, vt moris erat, excuſationem

S. Cypr Ep.38.

Digitized by Google

tionem dat S. Cyprianus ſummæ virtutis & meriti ejuſdem Aurelij. Hoc tamen inconſulto omnino aut invito Clero factum à ſolo Epiſcopo dici neutiquam poterat. *Merebatur enim*, inquit S. Cyprianus, *talis Clericæ ordinationis vlteriores gradus, & incrementa majora; non de annis ſuis, ſed de meritis æſtimandus*. Et infrà: *Hunc igitur, Fratres dilectiſſimi, à me, & à Collegis qui præſentes aderant ordinatum ſciatis, quod vos ſcio & libenter amplecti, & optare tales in Eccleſia quàm plurimos ordinari. Nec enim inconſulto Clero factum cenſeri poteſt, quod ad ſatisfaciendum optatis ejus, & deſiderium ejus explendum, confectum eſt.*

S. Cypr. Ep. 33.

Autor diſſert.

„ VIII. Cùm vnus ex Presbyteris S. Cypriani cui nomen erat Feliciſſimo, huic mandato ſe interpoſuiſſet, comminatus diſtractionem à communione eorum qui parerent, quemadmodũ deinceps contigit; numquid non ſtatim S. Cyprianus iſti Presbytero

tero communione Eccleſiæ inter-"
dictum eſſe declaravit, & omni-"
bus qui cum eo communicarent."
Sicut Feliciſſimus minitatus erat diſtractionem à communione iis qui mandato Cypriani parerent, minarum vicem eidem rependit Cyprianus. *Cùm Feliciſſimus comminatus ſit, non cõmunicaturos in morte ſecum qui nobis obtemperaſſent, id eſt qui nobis communicarent, accipiat ſententiam, quam prior dixit vt abſtentum ſe à nobis ſciat.* Sed magnum eſt diſcrimen inter excommunicationem judicio ac jure pronuntiatam, & minas diſtractionis à communione. Hæc fuit mens, ſententia & conſilium S. Cypriani, vt Feliciſſimo communione interdiceretur; ſed non videmus interdictum ei fuiſſe, ſeu judiciariam Cyprianum excommunicationẽ pronuntiaſſe adverſus eum. Immò verò ex hac Sancti Cypriani Epiſtolâ intelligimus, hoc negotium ad Concilium remiſſum fuiſſe, & judicio plurimorum relictum. *Quæ*

S. Cypr. Ep. 38.

omnia tunc cognoſcemus, quando in vnum colleg:s pluribus, permittente Deo convenerimus.

Autor diſſert.

„ IX. Quamvis hæc eſſet S. „ Cypriani conſuetudo, vt in or- „ dinationibus Clerum ſuum con- „ ſuleret hâc tamen lege ſe liben- „ ter ſolvit, cùm ſibi hoc conſilio „ vti neceſſe non eſſe æſtimavit. „ Quippè cùm ei opus fuit expedi- „ tis Clericis, quorum ope litteras „ ad Clerum Romanum mitteret, „ non deſtitit procurare ordinatio- „ nem Subdiacono, & Lectori in- „ conſulto Clero. Citat Autor diſ- „ ſert. Epiſtolam 24. Sancti Cy- „ priani.

Ex h c Epiſtolâ omnia contra ac dicta ſunt ab Autore, eveniſſe planiſſimè conſtat. Hi enim duo Clerici, ſcilicet Saturus Lector, & Optatus hypodiaconus, quos vrgente neceſſitate, ſacris initiaverat Sanctus Cyprianus, jam pridem communi conſilio Presbyterorum Clero proximi facti fuerant. Quamobrem licèt det excuſatio-

nem

nem vrgentis neceſſitatis, nihil tamen iis inconſultis confectum fuiſſe declarat. *Feciſſe autem me ſciatis Lectorem Saturum & Hypodiaconum Optatum Confeſſorem; quos jam pridem communi conſilio Clero proximos feceramus.* Et infrà, *Nihil ergo à me abſentibus vobis factum eſt, ſed quod jampridem, communi conſilio omnium noſtrûm cœperat, neceſſitate vrgente promotum eſt.* Ego verò non puto melius conſilium dari poſſe Autori diſſert. quàm vt conſulat Cyprianum, ita vt ſolebat Cyprianus conſulere Clerum ſuum.

X. Aliâ occaſione datâ, ab eodem Cypriano Aurelius, & Celerinus Lectores initiati ſunt & Numidicus Presbyter. Autor diſſert.

Reverà initiati ſunt, ſed non prætermiſſo Cleri conſilio. De Aurelio diximus ſatis, numero VII. de Celerino jam ſciendum eſt, *Clerum non humanâ ſuffragatione*, vt inquit S. Cyprianus, Epiſtolâ 34. *Sed divina dignatione, fuiſſe conjunctum*, & promotionem ejus non indiguiſſe conſilio

conſilio Cleri ordinario, cum ſingulari miraculo ad ordinem vocatus fuerit iſte Celerinus: *Qui cùm conſentire dubitaret Eccleſiæ, ipſius admonitu & hortatu in viſione per noctem compulſus eſt.* Prætereà ſciebat Cyprianus tales viros libenter Clerum ſuum amplecti & optare. *Quod vos ſcio & libenter amplecti & optare tales in Eccleſiâ noſtrâ quàm plurimos ordinari.* Epiſtolâ 33. de Aurelio. Ex eorum pariter genere, & numero virorum erat Numidius ab eodem Cypriano Presbyter ordinatus. Erat quippè Martyr inclitus, & fortiſſimus conjux amiciſſimæ mulieris, quam lateri ſuo adhærentem concrematam lætus aſpexerat. Vt teſtis eſt ipſemet S. Cyprianus Epiſtolâ 35. quam ſcripſit Presbyteris, Diaconibus & plebi vniverſæ de ordinatione ejus. Illum enim ſacris Presbyteratûs initiaverat admonitus, & inſtructus dignatione divinâ, vt eum adſcriberet Presbyterorum Carthaginenſium numero. Quamobrem mirum

non

non eſt, ſi de hac ordinatione vt moris erat, Clerum non conſuluerit, cùm dubitandi locus eſſe non poſſet, quin vir tantâ pietate inſignis, tam illuſtri Martyrio conſpicuus, ſuffragio Cleri, & plebis conſenſu exornaretur. Igitur ſatis perſpicitur quam perperam diſſertationis Autor ejuſmodi ordinationes, vt incóſulto Clero factas, objiciat; quas ejus approbatione, conſenſu, deſiderio, & amore confirmatas intelligere neceſſe eſt.

XI. Et cùm loquitur, Cyprianus ſcilicet, de Epiſcopis recuſantibus abſolutionem iis qui ſtupri illati poſtulabantur, qui ſe tamen à Fratrum ſocietate & communione non ſecreverant, mentionem nullá facit Cleri, ſed omnia in Epiſcopi ſolitarij poteſtate poſita eſſe dicit, ſoli Deo rationem redditurі. *Actum ſuum diſponit & dirigit, vnuſquiſque Epiſcopus, rationem propoſiti ſui Domino redditurus.*

Hæc Epiſtola ſancti Cypriani ad S. Cypr.
Anto

Ep.52.ad Antonianum.

Antonianum tota verſatur in confutatione ſchiſmatis Novatiani, quod adverſus Cornelium Papam in Eccleſiâ exurrexerat. Et vt hæc conjuratio deteriùs apud vulgus haberetur, exemplum adfert plurimorum Eccleſiæ Catholicæ Epiſcoporum; qui licèt in diverſæ partis ſententias iviſſent, de negotio pacis, mœchis ad meliorem frugem reverſis concedendæ, attamen vinculum vnitatis non ruperunt, ſed manente firmo concordiæ nexu, actus ſuos diſpoſuerunt & direxerunt, ſuæ villicationis rationem Domino reddituri. *Et quidem apud anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſtic in Provincia noſtra, dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt, non tamen à Coepiſcoporum ſuorum Collegio receſſerunt, aut Catholicæ Eccleſiæ vnitatem vel duritiæ, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt; vt quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat de Eccleſia ſepararetur. Manente concordiæ vinculo & perſeverante*

verante Catholica Eccleſia individua Sacramento actum ſuum diſponit & dirigit, unuſquiſque Epiſcopus rationem propoſiti ſui Domino redditurus.

Incogitabile prorsùs mihi videtur mentis compotem virum, ex his omnia Eccleſiæ negotia in ſolius Epiſcopi poteſtate eſſe poſita intellexiſſe. Quis enim dubitat quin Epiſcopus, & Presbyter & quilibet fidelium actus ſuos diſponat & dirigat ſui propoſiti rationem Domino redditurus? Cùm præſertim eadem Epiſtolâ nos doceat Cyprianus, jus non ſolùm Clericorum, verum etiam plebis Chriſtianæ ad electionem Pontificis Romani. *Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus Dei & Chriſti ejus judicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc affluit ſuffragio, cùm nemo ante ſe factus eſt, cùm Fabiani locus, id eſt, cùm locus Petri & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret, quo occupato Dei voluntate, atque omnium noſtrûm conſenſione firmato, quiſquis jam Epiſcopus fieri voluerit*

rit foris fiat neceſſe eſt.

Autor diſſert. „ XII. Sic ſemper adſcribit Epiſ-
„ copis omnem eccleſiæ gubernan-
„ dæ poteſtaté,& eoſdem per uni-
„ verſum terrarum orbem, rerum
„ Eccleſiaſticarum moderatores
„ inſtitutos eſſe dicit. Citat diſſert.
„ Autor Epiſtolam Sancti Cypria-
„ ni 63.

Nihil eſt certè ab inſtitutis S. Cypriani magis alienum : reverà enim ſcribit in exordio hujus Epiſtolæ, ſe ſcire *Epiſcopos plurimos Eccleſiis dominicis in toto mundo divinâ dignatione præpoſitos Evangelicæ veritatis, ac dominicæ traditionis tenere rationem*. Sed perſpicit haud difficiliter Lector, quantùm hoc diverſum ſit ab omni Eccleſiæ gubernandæ poteſtate, quam adſcriptam à Cypriano Epiſcopis Autor diſſertationis fingit. Cùm præſertim Sanctus Cyprianus dicat, *Preſbyteros cum Epiſcopo Sacerdotali honore eſſe conjunctos.* Epiſtolâ 58. ad Lucium Papam Romanum. Fortunatum & Feliciſſimum fuiſſe non ſolùm

ſolùm ab Epiſcopis, verum etiam Presbyteris & Diaconibus judicatos. Epiſt. 55. Cornelio Papæ, nos doceat. *Presbyteris & Diaconibus non deeſſe Sacerdotij vigorem*, Epiſtolâ 14. Presbyteris & Diaconibus Romæ conſiſtentibus. Et pronuntiat *rerum omnium diſpoſitionem, eſſe poſitam in conſilio communi Præpoſitorum*, id eſt Epiſcoporum & Cleri; Epiſtolâ 13. ad Clerum. Inſuper florentiſſimum Clerum Romanum ait cum Papâ Cornelio in Eccleſiâ Romanâ præſidere, Epiſtolâ 55. pag. 98. Presbyteri & Diaconi Cyprianum, quamvis Epiſcopum non Dominum ſed fratrem appellare ſolebant, vt patet Epiſtolis apud Cyprianum 26. 30. & 31.

XIII. Sanctus Cyprianus appellat Epiſcopos gubernandæ " Eccleſiæ libram tenentes. Epiſt. " 67. Stephano Papæ de Marciano " Arelatenſi.

Quid tum, & quid hoc vetat quominùs jus ferendi ſuffragij, & conſilij ſui in rebus Eccleſiæ dan-

di

di ad Presbyteros pertineat? cùm Romæ Presbyteri & Diaconi conſiſtentes hæc ſcribant Cypriano: *Omnes enim nos decet pro corpore totius Eccleſiæ, cujus per varias Provincias membra digeſta ſunt, excubare.*

Inter Epiſtolas S. Cypriani 30. in fine.

„ XIV. Scribens Cornelio Papæ de Fortunato & Feliciſſimo, „ quibus communione interdixe- „ rat, ait S. Cyprianus: *Actum eſt de Epiſcopatûs vigore, & de Eccleſiæ gubernandæ ſublimi, ac divinâ poteſtate, nec Chriſtiani vltra, aut durare aut eſſe jam poſſumus, ſi ad hoc ventum eſt, vt perditorum minas atque inſidias pertimeſcamus.*

Autor diſſer. S. Cypr. Ep. 51. pag. 88.

Nemo negat in Epiſcopis exiſtere vigorem, & gubernandæ Eccleſiæ ſublimem, ac divinam poteſtatem, ſed hoc non arcet Preſbyteros à regimine ejuſdem Eccleſiæ, nec prorſus eorum conſortione liberos & immunes reddit Epiſcopos. Dicit enim ipſemet Cyprianus Presbyteris & Diaconibus: *Non defuit Sacerdotij vigor*, & nos docet ipſiſſimâ Epiſtolâ 55. vt jam obſer

S. Cypr. cap. 14.

obſervavimus, negotium Fortunati & Feliciſſimi fuiſſe à Presbyteris & Diaconibus dijudicandum.

XV. Deinde quæ de ſummo " Pontifice veteris legis ſcriptura " commemorat, Epiſcopis novæ " accommodat S. Cyprianus Epiſt. " 55. quorum vetus Pontifex erat " figura, cujus mandatis obtempe- " rare omnes levitæ denuntiatâ " pœnâ mortis tenebantur. " Autor diſſert.

Hæc omnia ſimiliter accommodat Presbyteris Epiſtolâ 62. pag. 114. *Nec putent ſibi vitæ, aut ſalutis conſtare rationem, ſi Epiſcopis & Sacerdotibus obtemperare noluerint. Cùm in Deuteronomio Dominus Deus dicat, & homo quicunque fecerit in ſuperbiâ ut non exaudiat Sacerdotem aut judicem, quicunque fuerit morietur homo ille.* Cæterùm Levitæ erant figura non Presbyterorum, ſed miniſtrorum tantùm, ſcilicet Diaconorum novæ Legis, quos fatemur ſtrictiori lege obedientiæ teneri erga Epiſcopos.

Enimverò Presbyteri erant cum Epiſco

Epiſcopo Sacerdotali honore conjuncti, teſte ipſomet S. Cypriano Epiſtolà 58. & 65. ibi enim mentionem faciens de ſuperbo Diacono, admirabiliter nobis explicat latum diſcrimen inter Presbyterum, & Diaconum. Quippè poſſe Epiſcopum ſuâ authoritate privatâ Diaconum deponere, & abſtinere diſertis verbis toto hujus Epiſtolæ contextu aſſerit, quod de Presbyteris nuſquam dixit, nunquam cogitavit. *Quod ſi vltra te contumeliis ſuis exacerbaverit, & provocaverit, fungeris circa eum poteſtate honoris tui, vt eum vel deponas vel abſtineas.*

S. Cypr. Ep 95.

Autor dilleit.

„ XVI. Et poſtquam obſervavit Deum eſſe Autorem & datorem imperij, quo in Eccleſiâ potiuntur Epiſcopi, ad verba ſcripturæ alludens, ait: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex, vice Chri-*

ſti

ſti cogitatur. Et infrà: *Chriſti ad-* "
verſarius, & Eccleſiæ ejus inimicus "
ad hoc Eccleſiæ Præpoſitum ſuâ infe- "
ſtatione perſequitur, vt gubernatore "
ſublato, atrociùs atque violentiùs "
circa Eccleſiæ naufragia graſſetur. "

Hæc quidem apertè ſignificant non ſolùm opus, verùm etiam neceſſe eſſe, vt vnus Epiſcopus cuilibet Eccleſiæ præſit, ſed Presbyteros ab ejuſdem Eccleſiæ regimine non amoliuntur; cùm præſertim hac Epiſtolâ 55. Sanctus Cyprianus appellet Clerum Romanum cum Cornelio Papa præſidentem; *Et florentiſſimo illic Clero tecum præſidenti.* Et Epiſtolâ 62. Sacerdotes, ſeu Presbyteros, quos vocant ſimplices, ab Epiſcopis diſtinctos, nuncupet Iudices ad tempus à Deo conſtitutos: *Interfici Deus juſſit Sacerdotibus ſuis non obtemperantes Iudicibus, à ſe ad tempus conſtitutis, non obedientes.* Nec dubitandi locus relinquitur, quin S. Cyprianus ibi per Sacerdotes intelligat Presbyteros Epiſcopali dignitate vacuos, cùm

S. Cypr. Ep. 55. pag. 98.

cùm dicat: *Nec putent ſibi vitæ, aut ſalutis conſtare rationem, ſi Epiſcopis & Sacerdotibus obtemperare noluerint.*

Autor diſſert.

„XVII. Plenam hanc poteſtatem ſolis Epiſcopis privatim „conceſſam intelligimus ex Epi„ſtolâ quam Clerus Romanus S. „Cypriano ſcripſit; De lapſis tem„pore perſecutionis. *Quamquam „nobis differenda hujus rei neceſſitas „major incumbat, quibus poſt exceſ„ſum nobiliſſimæ memoriæ viri Fa„biani, nondum eſt Epiſcopus propter rerum & temporum difficultates conſtitutus, qui omnia iſta moderetur, & eorum qui lapſi ſunt poſſit cum autoritate & conſilio habere rationem.* Igitur inquit Autor diſſert. hanc poteſtatem ſibi deeſſe fatebantur hi Presbyteri, quæ tota penes ſolum Epiſcopum erat.

Nemo Catholicus dubitare poteſt, quin Epiſcopus, ad bene ſapienterque res Eccleſiæ adminiſtrandas, Presbyteris, aliiſque miniſtris præeſſe debeat. Sed eo devolvitur

volvitur quæſtionis, de qua diſputamus, caput; vtrùm ſolitario Epiſcopo conſortione Presbyterorum immuni, tota atque integra regendæ Eccleſiæ autoritas competat. Scimus enim ex Sancto Cypriano: ſingulis Paſtoribus adſcriptam portionem gregis, quam vnuſquiſque gubernet ac regat rationem ſuï actûs Domino redditurus. Sed non exiſtimamus ſolos Epiſcopos ad adſcriptam portionem gregis ſine conſilio Presbyterorum incumbere, cùm præſertim hac Epiſtolâ 31. laudatâ, Clerus Romanus deſideret & aveat Epiſcopum, qui eorum qui lapſi ſunt rationem habeat, non ſolùm cum autoritate, verùm etiam cum conſilio: Et apertè pronuntiet ſibi placere in tam ingenti negotio, quod & ipſe S. Cyprianus priùs tractaverat; ſcilicet Eccleſiæ pacem ſuſtinendam; Deinde ſic collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus, pariter ac ſtantibus laï-

ciſ factâ, lapſorum tractare rationem. Perquàm enim invidioſum, & onerolum videbatur, iis Preſbyteris Romæ conſiſtentibus, non per multos examinare quod per multos commiſſum videatur fuiſſe, & vnum ſententiam dicere, cum tam grande crimen per multos diffuſum notetur exiſſe: *Quoniam nec firmum decretum poteſt eſſe, quod nec plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum.* Cùmque paſſim Presbyteri Romani & alij, Sanctum Cyprianum fratrem ſuum appellitent; & Epiſtol. 26. inter Epiſtolas S. Cypriani, Moſes & Maximus Presbyteri, Nicoſtratus & Rufinus Diaconi, aliique Confeſſores dicant. *Non oportere grande delictum, niſi, vt ipſe ſcripſerat Cyprianus, cautè, moderatè tractari conſultis omnibus Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus & ipſis ſtantibus laicis.*

Epiſt. 30. 31. inter Epiſtolas S. Cypr.

Quamobrem mihi maximam admirationem movet Autor diſſert. Dum ait eoſdem Presbyteros Romæ conſiſtentes, in Epiſtola ad Clerum

Clerum Carthaginenſem de ſolis ordinis Presbyteralis officiis, ſeu functionibus loqui, neutiquàm verò de juriſdictione; dum ſede vacante mortuo, aut exulante Epiſcopo ad Clerum Carthaginenſem, & Romanum, curam Eccleſiæ, & regimen pertinere dicunt. Enimverò eâ ex Epiſtolâ quæ eſt ſecunda inter Epiſtolas S. Cypriani perſpicimus jus correctionis adverſus errantes ſede vacante ad Presbyteros, ſeu ad Clerum devolvi. *Et cùm incumbat nobis qui videmur Præpoſiti eſſe, & vice Paſtoris cuſtodire gregem, ſi negligentes inveniamur dicetur nobis quod & anteceſſoribus noſtris dictum eſt, qui tam negligentes Præpoſiti erant, quoniam perditum non requiſivimus, & errantem non correximus*, At correctio juriſdictionis eſt non ordinis.

Præterea ſi Sanctus Cyprianus exiſtimaſſet ſolas functiones ordinis ad Presbyteros pertinere ſede vacante, profectò incredibile videretur, S. Cyprianum exulem ſuas

vices Preſbyteris ſuis commiſiſſe, vti nihil ad diſciplinam, vel ad diligentiam deeſſet. Etenim quæ diſciplinæ ſunt, Eccleſiaſticæ juriſdictionis poteſtate fiunt, & confirmantur. At hoc legimus Epiſtolâ 4. quam ſcripſit S. Cyprianus Preſbyteris, & Diaconibus fratribus. *Et quoniam mihi intereſſe nunc non permittit loci conditio, peto vos pro fide & religione veſtrâ, fungamini illic, & veſtris partibus & meis, vt nihil ad diſciplinam, vel ad diligentiam deſit.*

Iam igitur, tempore S. Cypriani Eccleſiæ regimen commune fuiſſe inter Epiſcopos & Preſbyteros, perſpicua veritas eſt, quam nulla res infirmare poteſt. Iuvat ergo ad ſecundū caput examinis hujus operam traducere, & inveſtigare. An hæc ſententia S. Cypriani de regimine communi fuerit ei ſingularis, & ab aliorum Epiſcoporum inſtitutis aliena. Ita ſe rem habere probare nititur Autor diſſertationis, teſtimonio ejuſdem S. Cypriani ex Epiſtolâ

Epiſtolâ 5. in qua Presbyteros, & Diaconos ſic alloquitur; *Ad id verò quod ſcripſerunt mihi compreſbyteri noſtri, Donatus & Fortunatus, Novatus & Gordius, ſolus reſcribere nihil potui, quando à primordio Epiſcopatûs mei ſtatuerim nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis meâ privatim ſententiâ gerere: ſed cùm ad vos per Dei gratiam venero, tunc de iis quæ vel geſta ſunt, vel gerenda, ſicut honor mutuus poſcit in commune tractabimus.* Ego verò legem hanc ſibi ſingulariter Cyprianum impoſuiſſe non ſentio; ſed Eccleſiarum conſuetudine & diſciplinæ ratione, ſancitam à Deo capeſcendæ reipublicæ Chriſtianæ conditionem acceptaſſe. Primò, quia eadem Epiſtolâ S. Cyprianus ait honorem mutuum poſcere, vt in communi cum Presbyteris, quæ geſta ſunt, vel gerenda, tractaret. Secundò, Epiſtolâ 13. ſcribit Presbyteris & Diaconibus fratribus. *Vt cum in vnum per ejus miſericordiam venerimus, de omnibus ſpeciebus ſecundùm*

diſciplinam Eccleſiaſticam tractare poſſimus. Tertiò, Epiſtolâ 17. *Quæ res cùm omnium noſtrûm conſilium & ſententiam expectet, præjudicare ego, & ſolus mihi rem communem vindicare non audeo, & ideò ſtetur interim Epiſtolis quas ad vos proximè feceram: quarum exemplum Collegis quoque multis jam miſi. Qui reſcripſerunt placere ſibi quod ſtatuimus, nec ab eo recedendum eſſe, donec pace nobis à Domino redditâ, in vnum convenire, & ſingulorum cauſas examinare poſſimus.* Cur enim non auderet, ſi poſſet judicare ſolus, & niſi moram diſciplina Eccleſiaſtica imponeret? Quartò, Epiſtolâ 28. loquens de Philumeno, & Fortunato hypodiaconis, & Favorino Accolyto qui medio tempore receſſerant, ait: *Se huic rei non potuiſſe ſe ſolùm iudicem dare, cùm multi adhuc de Clero abſentes eſſent.*

Inter Ep. S. Cypr. 31. Quintò, Presbyteri & Diaconi Romæ conſiſtentes, diſciplinæ Romanæ Eccleſiæ teſtes, omni exceptione majores ſcribunt Cypriano:

no : *Firmum decretum non poſſe eſſe, quod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum.* Sextò, Ipſe Sanctus Cyprianus Epiſtolâ 55. Cornelio Papæ appellat Clerum Romanum præſidentem, quîcum, ſcilicet Cornelius, neceſſitudine communis regiminis conjunctus erat. Septimò Aſiaticarum Eccleſiarum diſciplina ab Africanæ & Romanæ inſtitutis non erat aliena; teſte Firmiliano apud Cyprianum Epiſtolâ 75. *Quâ ex cauſa neceſſariò apud nos fit, vt per ſingulos annos ſeniores & Præpoſiti, id eſt Presbyteri & Epiſcopi in vnum conveniamus, ad diſponenda ea quæ curæ noſtræ commiſſa ſunt : & ſi qua graviora ſunt communi conſilio dirigantur.* Iam plura verba dare non expedit. Ipſe diſſertationis Autor cauſam quam tuendam ſuſcepit, dijudicet, & palam declaret quâ ratione privatim ſoli Cypriano ſententia poſſit adſcribi, in quam Aſiaticæ & Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi totis viribus concurrere videntur.

CAPVT VIII.

Antiqui Patres ſequuntur ſententiam S. Cypriani.

NIhil magis hanc opinionem non eſſe S. Cypriano privatim aſcribendam demonſtrat, quam ſequentium Sanctorum Patrum teſtimonia, qui penè omni diſcrimine remoto de Presbyteris & Epiſcopis promiſcuè loquuntur.

Hilarij Diaconi teſtimonium circa Annum 367.

Scripſit hîc Autor Commentarium in Epiſtolas Pauli, quem Concilii Pariſiis habiti Anno 824. & alterius Aquiſgrani 862. Patres Ambroſianum crediderunt, in quo hæc habentur Primâ ad Tim. c. 4. v. 14. Et Secundâ ad Timoth. c. 1. v. 6. *Timotheum Presbyterum à ſe creatum Epiſcopum vocat, quia primum*

mùm Presbyteri Epiſcopi appellabantur, vt recedente vno ſequens ei ſuccederet. Denique apud Ægyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus. Sed quia cœperunt ſequentes Presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata eſt ratio proſpiciente Concilio: vt non ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum, multorum Sacerdotum judicio conſtitutum, ne indignus vſurparet, & eſſet multis ſcandalum. Et in 1. ad Timoth. 3. *Poſt Epiſcopum Diaconi ordinationem ſubjicit. Quare? niſi quia Epiſcopi & Presbyteri, vna ordinatio eſt: vterque enim Sacerdos eſt, ſed Epiſcopus primus eſt, vt omnis Epiſcopus Presbyter ſit, non omnis Presbyter Epiſcopus; hic enim Epiſcopus eſt, qui inter Presbyteros primus eſt.*

Autor quaſtionum in Vetus & Novum Teſtamentum, quaſt. 101.

Quid eſt enim Epiſcopus niſi primus Presbyter hoc eſt Summus Sacerdos.

Sanctus Baſilius Cæſareæ in Cap-

padociâ Epiſcopus, ab Anno 370. qui obiit Kal. Ianuarij, Anno 379. Iura ferendi judicij, ac lites Eccleſiaſticas ad Epiſcopos vnà cum Clero dirimendi pertinere nos docet Epiſtolâ LXXV. ad Neocæſarienſes αλλείσιν Επίσκοποι κληθῶσι εἰς ἀκρόασιν, ἔσι κλῆρος κατὰ πᾶσαν τοῦ Θεοῦ παροικίαν συναχθήτωσαν οἱ δοκιμώτατοι. *Iam ſunt Epiſcopi, vocentur illi, vt cauſam cognoſcant. Eſt Clerus in vnaquaque Parœcia congregentur Selectiores, ac probatiores.* Et paulò pòſt πάλιν ἴσον καὶ κοινὸν κριτήριον καθισάτω. *Deinde iudicium detur æquum, & neutri parti ſeparatim addictum.*

Obiit Anno 407.

Sanctus Ioannes Chryſoſtomus homil. X I. in 1. ad Timotheum.

Omiſſo Presbyterorum Ordine ad Diaconos tranſiliit. Cur id verò quià non multùm intereſt: ipſi enim ad doctrinam, Eccleſiæque præſidentiam ordinati ſunt. Quæque de Epiſcopis dixit, eadem Presbyteris coaptat, ſolâ enim ordinatione ſupra eos aſcenderunt, & hoc ſolo Presbyteris ſuperiores eſſe videntur.

Sanctus

Sanctus Hieronymus Stridonienſis Presbyter, Tomo 3. ad Evagrium. Obiit 410.

Quid enim facit excepta ordinatione, Epiſcopus quod Presbyter non faciat? Tomo 9. in Epiſtolam ad Titum. *Idem eſt ergo Presbyter qui Epiſcopus, & antequàm diaboli inſtinctu, ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis, ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam verò vnuſquiſque eos quos baptizaverat ſuos putabat eſſe non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, vt vnus de Presbyteris electus ſupponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur.* Et infrà: *Hæc præterea vt oſtenderemus apud veteres eoſdem fuiſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos: Paulatim verò vt diſſenſionum plantaria evellerentur ad vnum omnem ſollicitudinem eſſe delatam. Sicut ergo Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei* qui

qui ſibi Præpoſitus fuerit eſſe ſubjectos, ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere.

Autor differt.

Hæc verba Sancti Hieronymi ſeriò conſpicatus diſſertationis „ Autor, ait: Quomodocumque S. „ Hieronymus mentem S. Pauli aſ- „ ſecutus ſit, vel eum ad quemli- „ bet vſum adjungere velit, dubi- „ tandum non eſt quin æſtimave- „ rit Corinthiorum Schiſma oc- „ caſionem præbuiſſe Apoſtolis „ inſtituendi in qualibet Eccleſiâ „ Epiſcopi. At verò cùm hoc ſchiſ- „ ma novem, aut octo annis poſt „ publicatum inter gentiles Evan- „ gelium ortum ſit, ſcilicet à mor- „ te Chriſti vigeſimo, aut vigeſi- „ mo primo, tranſactis tribus for- „ taſſe circiter annis poſtquam ip- „ ſemet Paulus Corinthi prædicaſ- „ ſet; Conſectaneum manifeſtum „ eſt has Eccleſias vltra novem „ aut decem annos ſub communi regimine

regimine Presbyterorum non ſubſtitiſſe.

Ego verò hanc eſſe mentem S. Hieronymi non puto, ſcilicet ſchiſma Corinthiacum occaſionem præbuiſſe inſtituendorum vnis in Eccleſiis ſingulorum Epiſcoporũ. Enimverò ſi ita ſe res extra omnem dubitandi locum haberet, incogitabile prorſus videretur S. Hieronymum attuliſſe ad confirmandam æqualitatem Epiſcoporum, & Presbyterorum ea, quæ diù poſt exortum iſtiuſmodi ſchiſma contigerunt; attamen hanc *ἰσοτιμίαν*, ſic probat in caput 1. Epiſtolæ ad Titum. *Putat aliquis non Scripturarum ſed noſtram eſſe ſententiam, Epiſcopum & Presbyterum vnum eſſe: & aliud ætatis, aliud eſſe nomen officij: relegat Apoſtoli ad Philippenſes verba dicentis: Paulus & Timotheus ſervi Ieſu Chriſti omnibus Sanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis & Diaconis: gratia vobis & pax & reliqua. Philippi vna eſt Vrbs Macedoniæ; & certè in vna civitate plu-*

res,

res, vt nuncupantur Epiſcopi eſſe non poterant, ſed quia eoſdem Epiſcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Epiſcopis quaſi de Presbyteris eſt locutus.

Quippè certum eſt Epiſtolam ad Philippenſes ſcriptam fuiſſe 29. poſt paſſionem Chriſti, ſcilicet octo annis poſt ſchiſma Corinthiacum. Citat pariter S. Hieronymus Epiſtolam ad Hebræos eodem Anno ſcriptam. In Epiſtolâ verò ad Evagrium, quæ eſt 85. juxta editionem Baſileenſem Eraſmi, tom.3. operum S. Hieronymi citat Epiſtolam primam ad Timotheum, Anno 33. poſt paſſionem Domini ſcriptam, ſcilicet 12. poſt ſchiſma Corinthiacum, ſi, vt obſervat diſſertationis Autor, contigit Anno 20. aut 21. à morte Chriſti. Porrò in eadem Epiſtolâ mentionem facit conſuetudinis, in qua Eccleſia Alexandrina à Marco Evangeliſta, vſque ad Heraclam & Dionyſium permanſit. Qui ſedem Alexandri-

nam

nam occupavit circa Annum 263. *Nam & Alexandria à Marco Evangeliſtâ vſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper vnum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant: quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de ſe quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent, quid enim facit ordinatione exceptâ Epiſcopus quod Presbyter non faciat?* Igitur etſi aliqua ratione fateri neceſſe ſit Sanctum Hieronymum æſtimaſſe ejuſmodi ſchiſma occaſionem aliquam dediſſe fidelibus creandorum in Eccleſiis ſingulis Epiſcoporum: incredibile prorſus videtur eum in hoc ſchiſmate hanc inſtitutionem defixiſſe. Cum ipſemet exacto multis abhinc annis tempore ſchiſmatis, æquabilitatem Epiſcoporum, & Presbyterorum agnoſcat, ſuis in Epiſtolam ad Titum Adverſariis, in quibus diſertis verbis ait, noſſe opus eſſe Epiſcopis, ſe non ſolùm olim ante ſchiſma Corin-

thiacum debuiſſe in commune cum Presbyteris Eccleſiam regere, verùm etiam ipſiſſimâ ſuâ ætate debere. *Ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine quàm diſpoſitionis Dominica veritate Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere.*

Autor diſſert. Perperam etiam obſervat diſſertationis Autor S. Hieronymum dicere, olim communi Presbyterorum conſilio, non poteſtate aut autoritate Eccleſias gubernari: Quippè cùm idem Sanctus ibidem obſervat vnum ex Presbyteris electum fuiſſe qui cæteris præponeretur, non ait, ad quem omnis Eccleſiæ *poteſtas* pertinet, aut *autoritas*: ſed ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret. Tantum porrò videtur eſſe diſcrimen inter curam & poteſtatem, quantùm inter conſilium & eandem poteſtatem. Fruſtrà etiam ex eo quod omnis cura Eccleſiæ ad Epiſcopum pertinere dicatur concludit ab eadem curâ, & gubernandi ratione cæteros Presbyteros

amo

amoveri. Quaſi verò ab Eccleſiarum ſollicitudine arcerentur cæteri Apoſtoli, quia Sancto Paulo ſollicitudo omnium Eccleſiarum competere dicebatur. Non magis Ad rem citat Sancti Hieronymi dialogum adverſus Luciferianos. *Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quadam & ab omnibus eminens datur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes*: Etenim fateor perlibenter Sanctum Hieronymum agnoviſſe in Epiſcopis quandam poteſtatem exortem, & eminentem; ſed neutiquàm poteſtatem, & jurisdictionem ab omni conſortio Presbyterij immunem & liberam, cùm dicat ipſe Sanctus Hieronymus: *Quid enim facit Epiſcopus ordinatione exceptâ quod non faciat Presbyter?* Ep. 85. ad Evagrium.

Poteſtas quippè ordinationis, quæ penes ſolos Epiſcopos exiſtit, eſt exors quædam & eminens poteſtas, quâ Epiſcopi Presbyteris antecellunt, & quâ vnus de Presbyteris cæteris ſuperponitur.

Cæte

Cæterùm nihil facit Epiſcopus quod non faciat Presbyter. Quamobrem juxta Sanctum Hieronymum, poteſtate ordinandi exceptâ omninò pari & æquabili gubernandæ Eccleſiæ autoritate potiuntur. Neque verò iſtiuſmodi poteſtatis Epiſcopis & Presbyteris cōmunis vſum, ad exacta ante ſchiſma Corinthiorum tempora revocare expedit; Quippè non dicit S. Hieronymus, nihil faciebat Epiſcopus quod non faceret Presbyter: ſed loquitur de tempore præſenti nihil facit Epiſcopus, quod Presbyter non faciat. Et ad poteſtatis vſum ſuâ ætate, ſcilicet ante Annum 420. receptum in Eccleſiâ reſpicit. Quamobrem Ioannes Maldonatus, Societatis Ieſu inſignis Theologus, tomo 2. de Sacramentis, quæſt. 4. cap.8. pag. 246. ait, Teſtimonium hoc S. Hieronymi non habere interpretationem; ſe tamen in eâ fuiſſe ſententiâ, vt exiſtimaret hanc diſtinctionem jure Eccleſiaſtico inter Epiſcopum, &

Presby

Presbyterum fuiſſe introductam. Et eodem cap. pag. 244. obſervat nonnullos Autores Catholicos negaviſſe Epiſcopos habere jure divino præſtantiorem hanc ſupra Presbyteros poteſtatem: quamvis hoc ei negandum eſſe non videatur.

Hanc ſententiam S. Hieronymi mirificè confirmat Autor Opuſculi, de ſeptem Gradibus, ſeu Ordinibus Eccleſiæ, recenſiti inter Opera ejuſdem, tomo 4. Et eidem Doctori adſcripti propter convenientiam, & conformationem opinionis. Nam ſermonis diſcrepantia, ac ſtyli diſſimilitudo ab eo ſcriptum non fuiſſe vehementer arguit. Hunc tamen in ſuam ſententiam Autor diſſertationis traducere non veretur; adeóque hæc verba citat ex pagina 106. *Tamen mea hoc ſcito eſſe ſententia nulli Epiſcopo ſuper hoc injuriam eſſe faciendam, nec legem à me apponendam eſſe ei, qui lex eſt Presbyteri.* Loquitur ibi Autor de conficiendo Chriſmate

mate quod penes Presbyterum, ita vt penes Epiſcopum, eſſe docet; nec propterea tamen vult Epiſcopo injuriam fieri, quem fatetur jam ætate ſuâ eſſe factum legem Presbyteri. Sed principio rerum æquabili ratione cum Epiſcopis Presbyteros jura dediſſe plebi Chriſtianæ aſſerit. *Presbyteri ergo, ſi neceſſe eſt, poſſint chriſma conficere, quia in corpore ejus chriſma eſt. Siquidem hac regula, etiam nunc ſervatur à plurimis, atque in Eccleſiis multis, ſic iſta faciunt. Tamen mea ſcita eſſe ſententia nulli Epiſcopo ſuper hoc injuriam eſſe faciendam, nec legem à me apponendam eſſe ei, qui lex eſt Presbyteri. Ab initio vt legimus negotiorum Iudices eſſe, mandati ſunt Presbyteri intereſſe Sacerdotum conſilio. Quoniam & ipſi Presbyteri, vt legimus Epiſcopi nuncupantur, ſecundum quod ſcriptum eſt ad Titum: R liqui te Cretæ: vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros quemadmodum ego tibi diſpoſui. Vides ergo Presbyterum Epiſcopum dici & Apoſtoli Pauli eſſe ſententiam.*

Verùm

Verùm,inquit diſſert. Autor, nihil magis alienum fuit à mente hujus Autoris,quam credere Preſbyteros poſſe ſuis officiis fungi prætermiſsâ licentiâ Epiſcopi, & ab ei debitâ ſubjectione liberos exiſtere. Quippè cùm de Epiſcopali ordine loquitur, conceptis verbis ait,Epiſcopum Eccleſiæ præeſſe, quod vnuſquiſque facere debet præcipere,damnare aut abſolvere reos, claves regni Cœlorum præ manibus habere, denique omnem Clerum & populum teneri adverſus eum ſummam reverentiam,ac venerationem adhibere. *Septimus, inquit, Epiſcopalis ordo eſt, & qui primus,& perfectus in cunctis eſt, qui omnipotentia Dei, & plenitudo eſt virtutum, ex quo omnia, in quo omnia. Ipſe enim ordinat Sacerdotes, &c. Ipſe Arundinem tenens metitur Hieruſalem. Ipſe fabricæ Dei præeſt,ipſe quod vnuſquiſque facere debet oſtendit, ipſe damnat, ipſe recipit, ipſe ligat, ipſe ligata ſolvit, ipſe claves regni Cœlo-*

rum habet, ipſe thronum Dei reſerat & claudit, ſupra ſe nihil habens . . . . Huic ſumma à cunctis Clericis, atque ab omni populo deferenda reverentia eſt, quia non dicit figmentum ei qui ſe finxit, vt quid me finxiſti ſic? Aut non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam. Nullis acceſſionibus „ hæc verba cumulari poſſe videntur „ ad ſupremum Epiſcoporum „ dominium demonſtrandum ad„ verſus vniverſum Clerum. Cùm „ hujus Autoris ſententia ſit, num„ quam debere Clericos cum Epiſ„ copis ſuis vllo verbo concertare „ de functionibus & officiis ſuis, „ ſed ſe tanquam vaſa ex argilla, & „ luto ficta in manibus illorum „ habere, quæ ad quoſlibet vſus „ comparant.

Licèt dubitandi locus nemini homini Catholico relinquatur, quin Presbyteri ſint aliqua ratione Epiſcopis inferiores, non ita tamen Epiſcoporum vilia mancipia ſunt,

ſunt, vt vaſa ex argilla, & luto factaad nutum friabilia æſtimari debeant. Hæc igitur comparatio claudicat, hoc opus S. Hieronymo prorſus indignum declarat, & à fide ejus & doctrinâ longè alieniſſimum arguit. Veruntamen ipſemet Autor quantumvis Epiſcoporum dignitatem evehat, Presbyterorum jura non adeò elevat. Dicit enim Presbyteros Eccleſiæ præeſſe, eſſe conſortes miniſteriorum cum Epiſcopis, jus habere in Eccleſiis prædicandi, & negotia judicandi, eſſe Apoſtolorum ſucceſſores, oculos Eccleſiæ ita vt Epiſcopos appellitat.

Sextus ſeniorum ordo eſt qui Sacerdotibus datur, qui Presbyteri dicuntur, qui præſunt Eccleſiæ Dei, & Chriſti Sacramenta conficiunt, hi autẽ cum Epiſcopis conſortes miniſteriorum ſunt .... *Nemo hinc Epiſcoporum invidiâ diabolicæ tentationis inflatus iraſcatur in templo, ſi Presbyteri interdum exhortentur plebem, ſi in Eccleſiis*

Autor Opuſculi de ſeptem gradibus Eccleſ. pag. 105. apud Hieronymum, tom. 4. Edit. Baſileenſ.

ſiis prædicent, ſi plebibus, vt ſcriptum eſt, benedicant; Etenim abnuenti mihi iſta ſic dicant, qui non vult Presbyteros facere quæ jubentur à Deo, dicat quis major eſt .... Presbyteri ergo ſi neceſſe eſt poſſunt Chriſma conficere ....

..... ab initio, vt legimus negotiorum judices eſſe mandati ſunt Presbyteri, eſſe Sacerdotum conſilio. Quoniam ipſi Presbyteri vt legimus Epiſcopi nuncupantur ....

Intelligis ergo in Presbytero ſummam Sacerdotij collocari .... atque ita eſt, vt in Epiſcopis Dominum, in Presbyteris Apoſtolos qui & ipſi ſunt recognoſcas ....

Nam vi ſui Epiſcopatûs & Presbyteria dantur, ſecundùm quod ſcriptum eſt ſpeculatorem te poſui Domui Iſraël ....

in Subdiaconis Angeli in Diaconibus, Archangeli in Presbyteris, Apoſtoli, in Epiſcopis Deus. Eodem Opuſculo vehementiùs *Δεσποτείαν* carpit: ex quo intelligitur facilè non illis ſolis poteſtatem regiminis Eccleſiaſtici; & juriſdictionem adſcripſiſſe

pſiſſe omiſſo Presbyterorum conſortio. *Quis hic ergo ô Sacerdotes*, inquit, *honor veſter eſt, vt damna gregibus inferatis? Quoniam cum Paſtoribus per potentiam veſtram aufertur Deo digna diligentia, contagium quoddam, & calamitas creſcit in gregibus ac Deo noſtro non patrimonij damna conquiritis, dum ſoli vultis in Eccleſiis potentari.* Soli igitur Epiſcopi non debent in Eccleſiis *potentari*, ſive gubernandæ ac regendæ Eccleſiæ poteſtas non iis ſolis eſt adſcripta.

Sanctus Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus.

Scripſit Epiſtolam S. Hieronymo, in qua circa alia capita ab ejus mente paulò alienior viſus eſt, ſed de Epiſcopatûs ac Presbyteratûs diſſimilitudine neutiquam aliter ſenſit. *Quamquam*, inquit, *ſecundùm honorum vocabula, quæ iam Eccleſia vſus obtinuit Epiſcopatus Presbyterio major ſit, tamen in multis*

Obiit Anno 430. 28. Auguſti.

rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt.

Obiit circa annum 460.

Theodoretus Epiſcopus Cyri Commentario, in cap. 1. Epiſtolæ ad Philippenſes. *Liquidò pateat Presbyteros eos fuiſſe, quos S. Paulus nominavit Epiſcopos.* Autor diſſertationis ſibi favere Theodoretum ſenſim ſine ſenſu ſignificat explicans Adverſaria S. Hieronymi in Epiſtolam ad Titum: quippè citat per tranſennam Commentarium hunc Theodoreti in Epiſtolam ad Philippenſes; ex quo hæc verba refert. *Epiſcopi & Presbyteri idem nomen, ſed non res.* Sed immò reſpondeo Epiſcopi & Presbyteri, *non idem nomen, ſed rem eandem eſſe.* Si Theodoreto fidem habeamus, cui hæc verba perperam aſcribit Autor diſſert. quæque ad libitum eidem affingit. Ait enim Theodoretus S. Paulum Epiſcopos appellare Presbyteros, quia vtrumque nomen habebant illo tempore: Ἐπισκόπους δὲ τοὺς Πρεσβυτέρους καλεῖ ἀμφότερα γὰρ εἶχον κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν τὰ ὀνόματα

ὀνόματι : at verò de diſcrimine quod inter Presbyteros, & Epiſcopos intercedit mentionem nullam facit.

Sanctus Gregorius Papa primus hujus nominis, cognomento Magnus Concilium habuit ad reformandos plures abuſus, qui ſuâ ætate in diſciplinam Eccleſiæ irrepſerant. Huic autem Concilio interfuerunt non ſoli Epiſcopi qui erant numero viginti tres; verùm etiam triginta quatuor Presbyteri, quorum ſubſcriptiones perſpicere poteſt Lector, lib. 4. Regiſtri Epiſtolarum, Indictione 13. cap. 88. pag. 396. Aliud adhuc habuit Concilium, Anno Chriſti ſexcenteſimo primo, cui pariter interfuerunt quinque Epiſcopi, & novem Presbyteri, quod refertur integrum, libro 9. Regiſtri, Indictione 4. pag. 439. verſa editionis Chevallonij. Dicet fortaſſe Autor diſſertat. Presbyteros non ſediſſe in hoc Concilio tanquam judices, ſed ita vt conſultores: Verùm quicquid ſit, apertè patet deliberaſſe in hoc

Concilio Presbyteros, & jure potitos eſſe ferendi ſuffragij de omnibus rebus in his tractandis, & quæſtionibus agitandis. *Gregorius dixit, poſtquam textus oblatæ petitionis innotuit. Probus Abbas pauliſper abſcedat, vt de his quæ petit cum fratribus filiiſque noſtris, quid ſtatuendum ſit, deliberare poſſimus: quo recedente poſtquã diu de petitione tractatũ eſt, dixit Papa Gregorius; Probus Abbas quem abeſſe paululum feceramus, rurſus adveniat, vt ea quæ nobis cum fratribus, filiiſque noſtris in commune viſa ſunt, cenſeamus.* Igitur perperam citat Autor diſſertationis Epiſtolam 32. S. Gregorij, ex lib. 9. Regiſtri, Indictione 4. *Nam ſi ſua vnicuique Epiſcopo Iuriſdictio non ſervatur, quid aliud agitur, niſi vt per nos, per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri debuit ordo, confundatur?* Fateri quippè neceſſe eſt quemlibet Epiſcopum ſuam habere juriſdictionem; ſed quæſtio eſt an habeat immunem, & ab omni Presbyterorum conſortione liberam, quod à mente, & inſtituti

ſtitutis Sancti Gregorij valdè alienum videtur. Porrò mentionem facit eo loci non ſolùm juriſdictionis Epiſcoporum adverſus Clericos, ſed etiam laïcos. Enimverò cauſas tractat, quæ tunc temporis frequenter exurgebant inter laïcos & Clericos, quas vult ad forum Epiſcoporum deferri, vetatque Defenſori Siciliæ, cui hanc Epiſtolam ſcribit ejuſmodi quæſtiones dirimere deſpretis Epiſcopis, eique illarum cognitione prorſus interdicit. Sed dat poteſtatem cognoſcendi & admonendi, vti ſibi judices eligant. *Si Clericus, vel Laicus adverſus Epiſcopum cauſam habuerit, tunc te interponere debes, vt inter eos cognoſcas, aut certè te admonente ſibi judices eligant.*

Sanctus Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis, lib. 2. de Officiis Eccleſiaſticis, capite 7. nos docet amplâ & apertâ teſtificatione Presbyteros, qui Epiſcopi non ſunt, præeſſe Eccleſiis Chriſti, eſſe conſortes Epiſcoporum in doctrinâ populo

Obiit Anno 636. feria 5. poſt Paſcha 4. die menſis Aprilis.

 pulo

pulorum, & officio prædicandi, ſolâ ordinatione exceptâ omnia eis competere Epiſcoporum munia. *Presbyteri autem interpretantur ſeniores, quia ſeniores ætate Græci Presbyteros vocant, his enim ſicut Epiſcopis diſpenſatio myſteriorum Dei commiſſa eſt. Præſunt enim Eccleſiis Chriſti, & in confectione diuinâ corporis & ſanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt; ſimiliter in doctrina populorum, & in officio prædicandi: ſed ſola propter authoritatem Summo Sacerdoti Clericorum ordinatio, & conſecratio reſeruata eſt, ne à multis Eccleſiæ diſciplina vindicata concordiam ſolueret, ſcandala generaret.* Et ſuprà, capite 5. de Sacerdotibus, ait, *Epiſcopos latinè ſuperintendentes poſſumus dicere, vt intelligat non ſe eſſe Epiſcopum qui non prodeſſe, ſed præeſſe dilexerit.* Quippè vt ibidem paulò ſuperiùs ait eodem capite. *Epiſcopatus, vt quidam prudentium ait, nomen eſt operis, non honoris.*

Obiit 29. Maij 735. *Venerabilis Beda* Homiliâ æſtiuali de Sanctis in die S. Lucæ, ait, *Primis*

Primis Eccleſiæ temporibus, vt apoſtolica ſcriptura teſtis eſt, vtroſque Presbyteros, vtroſque vocatos Epiſcopos, quorum vnum ſapientibus maturitatem, alterum induſtriam curæ paſtoralis ſignificat.

Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus, in Epiſtolâ ad Epiſcopos Franciæ, Anni 882. menſe Auguſto paucis ante obitum menſibus, qui contigit die 21. Decembris hujus anni, hæc verba Bedæ citat; & in Concilio Attiniacenſi Hincmaro fratris filio Laudunenſium Epiſcopo librum inſcripſit, in quo hæc leguntur, capite 10. *Epiſcopi in primordiis naſcentis Eccleſiæ, & vſque ad non parvum temporis progreſſum vno nomine in ſingulis officiis vocabantur, ſicut in Epiſtolâ Petri, & in Epiſtolis Ioannis, & in Epiſtolis Pauli manifeſtatur, ſicut Hieronymus ad Evagrium Presbyterum, ex authoritate Scripturarum oſtendit*, &c.

CAPUT IX.

Commune regimen Eccleſiæ inter Epiſcopos, & Presbyteros ex antiquis Conciliis demonſtratur.

IAm verò licet ex veterum Patrum teſtimoniis antiqua Eccleſiæ traditio de communi inter Epiſcopos, & Presbyteros regimine clariſſimè perſpiciatur, eam tamen ex veteri Conciliorum vſu explicare, & amplificare expedit. Ex his quippè non difficiliter intelligimus Presbyteros Epiſcopalis dignitatis expertes, cum Epiſcopis Eccleſiæ cauſas definiviſſe. Concilio Eliberitano quod vulgò creditur habitum, Anno Chriſti 305. triginta ſex Presbyteri interfuerunt. Et cum Epiſcopis Presbyteri & Diaconi promiſcuè conſedere in Concilio Arelatenſi 1. Anno Chriſti 314. Neutiquam verò ad rem

pertinet

pertinet objicere eos Presbyteros in his Conciliis, ita vt judices non conſediſſe, nec jure ferendi ſuffragij potitos eſſe : Cùm dubitandi locus non ſit, quin lite conteſtatâ cauſas & quæſtiones pro tribunali dijudicaverint, abſente Epiſcopo, & cum eo forum judiciorum his temporibus fuerint ingreſſi. Id enim nos docet Concilium Laodicenum habitum ante Concilium Nicænum, Canone 56. *Non oportet Presbyteros ante ingreſſum Epiſcopi ingredi, & ſedere in tribunali, ſed cum Epiſcopo ingredi, præterquam ſi Epiſcopus ſit malâ valetudine, vel profectus ſit peregrè*, ὅτι οὐ δεῖ Πρεσβυτέρους πρὸ τῆς εἰσόδου τοῦ Ἐπισκόπου εἰσιέναι, καὶ καθέζεσθαι ἐν τῷ βήματι: ἀλλὰ μετὰ τοῦ Ἐπισκόπου εἰσιέναι πλὴν εἰ μὴ ἀνωμαλοίη ἢ ἀποδημοῖ ὁ Ἐπίσκοπος, quid enim ſignificat hoc vocabulum τὸ βῆμα; niſi locum juriſdicendi in Tribunali apud Ariſtophanem in Pluto ἐπὶ τοῦ βήματος καθέζεται; & apud Sanctum Ioannem, capite 19. verſ. 13. καὶ ἐκάθισεν Πιλάτος ἐπὶ τὸ βῆματι εἰς τό-

τον λεγόμενον λιθόστρωτον Εβραιστὶ δὲ Γαββατᾶ: Igitur tranſactis temporibus Concilij Laodiceni conſtat Presbyteros conſediſſe in judicio, & tribunali, licèt eiſdem interdictum fuerit ejuſdem Concilij Canone 57. nihil agere ſine conſenſu Epiſcopi hoc eſt inconſulto Epiſcopo.

Verumtamen diſſertationis Autor plura antiquorum Conciliorum decreta adverſus hanc ſententiam proponit.

Autor diſſert.

„ I. Declaraverunt, inquit anti-
„ qua Concilia, ſui Epiſcopi judi-
„ cio,& cenſuræ Clericos eſſe ſub-
„ jectos, poſſéque ab iiſdem jure
„ merito communione arceri. Citat
„ Canonem quintum Concilij Ni-
„ cæni.

Verùm enim verò ingenuè fatendum eſt Clericos cenſuræ ſui Epiſcopi, & judicio fuiſſe obnoxios, ſed ſolitarij Epiſcopi judicio ſubjectos non definiunt hæc Concilia. Immò ex hoc Canone 5. Concilij Nicæni intelligimus, quàm angu

anguſtis limitibus dominationem Epiſcoporum Eccleſia circumſcripſerit. Quamvis enim Concilium Nicænum ibi mentionem non faciat ſolius Cleri : *Sed de iis qui communione privantur, ſeu ex Clero, ſeu ex laïco ordine ab Epiſcopis per vnamquamque provinciam, decrevit, vt hoc decentiùs inquiratur annis ſingulis per vnamquamque provinciam, bis in anno Concilia celebrari, vt communiter omnibus ſimul Epiſcopis congregatis provinciæ diſcutiantur hujuſmodi quæſtiones.* Igitur penes ſolos privatim Epiſcopos exiſtere poteſtatem regendi Cleri non æſtimavit, quippè quam ad Concilium bis anno quolibet congregandum devolvit.

II. Iterum citat Concilium Nicænum, Canone 12. & ait Concilia declaraſſe, ad ſolum Epiſcopum pertinere examen eorum, qui ſive ex Clero, ſive ex laïco ordine digni erant reconciliatione Eccleſiæ, vel quibuſcum jure diſpenſandum eſt à pœnitentia " Autor diſſert.

Cano

F vi

„ Canonica, aut interdicto com-
„ munionis, aut miniſterij in arti-
„ culo mortis.

Facilis brevíſque reſponſio eſt, eo Canone 12. nullam mentionem fieri Clericorum, & ad eos hoc Concilium minimè reſpicere, adeóque perperam in medium adduci. Verùm optimè intelligebant trecenti decem & octo Patres jus Presbyterorum in dijudicandis, ac dirimendis litibus neceſſe eſſe, cùm in Concilio Nicæno ipſimet confirmaverint decretum Concilij Alexandrini quo primùm Arius condemnatus, ac Presbyteratu diſturbatus eſt: ad cujus conventum ritè celebrandum plures Presbyteros, atque Epiſcopos, Alexander Epiſcopus Alexandriæ exciverat, vt refert S. Epiphanius, hæreſi LXIX. pag. 729. lit. D. *Alexander Arium ad ſe vocans, & quid ita ſe ſe res haberet interrogat, tum ille nihil tergiverſatus, aut cunctatus ſtatim frontem perfricans pravam omnem ſuam opinionem evomuit; vt ex ipſius Epiſtolis*

lis, & Actis illius inquiſitionis conſtat. Quamobrem Alexander habito Presbyterorum, & quorumdam Epiſcoporum, qui aderant conventu, de eo quæſtionem habet, ac diligenter examinat: tum veritati cedere detrectantem eijcit ex Eccleſia, ac totâ civitate proſcribit.

III. Prætereà objicit Autor diſſert. Canones Concilij Anthiocheni ab Arianis, contra S. Athanaſium habiti, quos pariter erudito ſupercilio, citat in margine. At priuſquam ad illorum Canonum diſquiſitionem ſigillatim aggrediamur, hos à Iulio Papâ I. Sancto Athanaſio, & Sancto Chryſoſtomo rejectos & exploſos, prorſus authoritate Eccleſiæ vacuos & expertes, refutare poſſem. Attamen cùm in codice Canonum, quo vtebatur Eccleſia Catholica tempore Concilij Calchedonenſis paſſim tranſcripti reperiantur, ab iiſque ſancita diſciplina confirmata ſit, vti ſpurios omninò, atque eruditorum cultu indignos peſſundare, aut

flocci

flocci facere non debemus.

Igitur primò examinemus Canonem tertium.

„ Coëgerunt, inquit, Autor diſ-
„ ſert. Patres Antiocheni Conci-
„ lij Clericos redire ad propriam
„ Diœceſim vocante eos Epiſcopo,
„ impoſitâ pœnâ abdicationis, &
„ vetàverunt ne alij Epiſcopi eos
„ retinerent. Dubitat nemo quin jus revocandi ſuos Clericos ad Epiſcopum pertineat, ſed abdicandi Clerici, ac ſupremo judicio ſuo munere ſpoliandi jus pariter ſoli Epiſcopo competere non perſpicitur. Debet quidem Clericus ſuo Epiſcopo parere commonenti, & exhortanti impoſitâ pœnâ abdicationis ſine ſpe reſtitutionis: ſed hujus abdicationis, ſeu depoſitionis ſententiam pronuntiabat Synodus non ſolitarius Epiſcopus, vt ex verbis Canonis Antiocheni intelligimus. *Si autem eum qui propter hanc cauſam depoſitus eſt alius Epiſcopus, ſuſceperit ille quoque à communi Synodo coërceatur, vt qui Eccleſiaſtica ſta-*

tuta

tuta diſſolvat. Quid enim ſignificat illa particula *ille quoque à communi Synodo coërceatur* , niſi Preſbyterum contumacem , & Epiſcopum eidem faventem æquabili ratione eſſe Synodi judicio coercendos. Sed hîc integrum Canonem exſcribere operæpretium eſt : *Si quis Presbyter vel Diaconus , vel quis omninò ex Sacerdotali ordine ſuam parœciam deſerens in aliam abierit : deinde omninò commigrans in alia parœcia multo tempore immorari conatur : ne ampliùs miniſtret ; maximè ſi vocanti ſuo Epiſcopo , & ad ſuam parœciam regredi commonenti , exhortantique non pareat. Si autem in perverſitate perdurat omninò à miniſterio deponatur , ut nequaquam locum reſtitutionis inveniat. Si autem eum qui propter hanc cauſam depoſitus eſt alius Epiſcopus ſuſceperit , ille quoque à communi Synodo coërceatur , ut qui Eccleſiaſtica ſtatuta diſſolvat.*

Secundò citat Autor diſſerta-

tionis,

tionis, Canonem quartum, & quintum ejuſdem Concilij, & plures alios; decimum ſextum, decimum primum, decimum ſecundum, decimum ſeptimum, ex quibus multa Epiſcoporum privilegia ſupra Presbyteros intelliguntur. Sed ex nullo ſignificatur juriſdictionem Eccleſiaſticam ad ſolitarios Epiſcopos, prætermiſſo Presbyterorum conſilio, & conſenſu, jure deſpotico pertinere. Immò verò ex hoc Concilio Antiocheno patet, Preſbyteros & Diaconos, vt Epiſcopos aliquâ ratione Eccleſiis præeſſe; id enim habetur Canone primo, *Si quis autem eorum qui præſunt Eccleſiæ Epiſcopus vel Presbyter, vel Diaconus poſt hanc definitionem auſus fuerit, &c.*

Tertiò citat Canonem nonum ejuſdem Concilij quo ſancitur *Vnumquemque Epiſcopum poteſtatem habere ſuæ parœciæ, eamque adminiſtrare pro ſuo ſtudio ac religione, & curam gerere totius regionis, quæ ſuæ*

vrbi

urbi ſubeſt. Sed propterea Presbyteros ab Eccleſiæ regimine neutiquam amolitur. Sicut eodem Canone dum ait Epiſcopum Metropolitanum curam, & ſollicitudinem totius provinciæ ſuſcipere, non ideò reliquos ejuſdem provinciæ Epiſcopos ab hac curâ, & ſollicitudine arcet. Cùm præſertim eodem Canone, metropolitano interdictum ſit quicquam magni momenti agere, ſine reliquorum ejuſdem provinciæ Epiſcoporum ſententiâ. Ex quo perſpicitur clariſſimè, Concilij Antiocheni animum longè alieniſſimum fuiſſe ab hac Epiſcoporum Monarchiâ, & juriſdictione deſpoticâ, quam tuendam ſuſcepit Autor diſſertationis, fulgentibus quidam, ſed non fortibus armis.

At dicet, quarto Canone hujus Concilij, jus abdicandi Presbyteri, ſeu deponendi diſertis verbis ſoli Epiſcopo privatim attribui : *Si quis Epiſcopus à Synodo depoſitus, vel Presbyter, aut Diaconus à pro-*

prio

prio Epiſcopo, auſus fuerit aliquid de miniſterio agere, ſive Epiſcopus ſecundum præcedentem conſuetudinem, ſive Presbyter ſive Diaconus, nullam amplius in alia Synodo ſpem reſtitutionis, neque defenſionis locum ei habere liceat, ſed & omnes ei communicantes ab Eccleſia abyciantur, & maximè ſi poſtquam cognoverint ſententiam adverſus prædictos fuiſſe prolatam ei communicare auſi fuerint. Reſpondeo jus quidem abdicandi Presbyteri Epiſcopo dari, ſed non ſoli, & conſilio Presbyterorum experti. Nihil quippè magni momenti hujuſce Concilij tranſactis temporibus agebant Epiſcopi ſine conſilio, vel conſenſu Presbyterorum, vt conſtat exemplo hæretici Arij Presbyteri Alexandrini; quem, vt teſtis eſt Epiphanius, Alexander Epiſcopus, habito Presbyterorum, & quorundam Epiſcoporum qui aderant conventu, abdicavit.

Diù poſt exactum illud Concilium Antiochenum, Anno ſcilicet

414.

414. Patres Concilij Carthaginenſis IV. ſic ſtatuunt Canone vigeſimo ſecundo: *Vt Epiſcopus ſine conſilio Clericorum ſuorum Clericos non ordinet.* Et Canone vigeſimo tertio. *Vt Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia Clericorum ſuorum, alioquin irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi Clericorum præſentiâ confirmetur.* Et Canone trigeſimo quarto, *Vt Epiſcopus quolibet loco ſedens, ſtare Presbyterum non patiatur.* Et 35. *Vt Epiſcopus in Eccleſia, & in conſeſſu Presbyterorum ſuperior ſedeat, intra domum verò collegam ſe Presbyterorum eſſe cognoſcat.*

Quippè nihil magis videtur à mente Ecceleſiæ Africanæ alienum quàm Monarchia Epiſcopalis, cùm ad judicium Presbyteri ſex Epiſcopos vocandos decernat, tres ad judicium Diaconi, & duodecim ad judicium Epiſcopi. Concil. Carthagin. I. Sub Grato Anno Chriſti trecẽteſimo quadrageſimo octavo, Canone vndecimo. *Gratus Epiſco*-

piſcopus dixit manifeſtum eſt illum non eſſe Dei qui humilitatem contemnit, ſed diaboli qui ſuperbiæ inventor & princeps eſt. Vnde ſi quis tumidus, vel contumelioſus extiterit in majorem natu, vel aliquam cauſam habuerit, à tribus vicinis Epiſcopis, ſi Diaconus eſt arguatur; ſi Presbyter à ſex, ſi Epiſcopus à duodecim Conſacerdotibus audiatur. Vniverſi dixerunt Epiſcopi: contemptus debet contumaciæ, & ſuperbiæ ab omnibus frangi, cauſa verò pro perſonis à ſtatuto numero audiatur. Anno quadringenteſimo decimo nono, hunc Canonem in Concilio Carthaginenſi, in quo Codex Eccleſiæ Africanæ confectus eſt, cui intererat S. Auguſtinus, Africani confirmaverunt. Miſeret Eccleſiam Gallicanam à ſanctiſſima Africanorum diſciplinâ alieniorem eſſe! Sinit enim heu! cum ſummo dedecore, ſæpe ſanctiſſimos, ſive parochialium ſive etiam cathedralium, ac primatialium Eccleſiarum miniſtros ac primarios flamines ab homine

mine teterrimo judicari, ſcilicet officiali ſolitario, cujus officium eſt, inquit Petrus Bleſenſis Archidiaconus Bathonienſis, *Hodie jura confundere, ſuſcitare lites, tranſactiones reſcindere, innectere dilationes, ſupprimere veritatem, fovere mendacium, quæſtum ſequi, æquitatem vendere, inhiare exactionibus, verſutias continuare.*

Quartò, opponit adhuc diſſertationis Autor ejuſdem Concilij Antiocheni vigeſimum ſecundum, vigeſimum quintum, & vigeſimum ſeptimum Canones qui nihil attinent. Nam 22. Concilium ſubmittit Epiſcopos judicio Synodi, qui ordinant Presbyteros invitis propriis Epiſcopis. 25. rerum Eccleſiæ ſeu bonorum temporalium diſpenſationem ſpectat, quâ prorſus interdicit Epiſcopis, ſine Presbyterorum vel Diaconorum ſententiâ. Cæterùm legiſſe non videtur Autor diſſertationis Concilium Antiochenum, dum citat vigeſimum ſeptimum Canonem, Quippè cùm in

in eo 25. tantùm Canones facti ſunt.

Quintò, Tandem, inquit Autor diſſertationis Concilium Calcedonenſe, Anno Chriſti 451. decrevit, *Vt Clerici Ptochiorum, Monaſteriorum, & Martyriorum ſub poteſtate Epiſcoporum, qui ſunt in vnaquaque civitate ſecundùm Sanctorum Patrum traditionem permaneant, nec per præſumptionem à ſuo Epiſcopo recedant. Qui verò audent ejuſmodi conſtitutionem quocumque modo evertere, nec ſuo Epiſcopo ſubijciuntur, ſi quidem Clerici fuerint Canonicis pœnis ſubijciantur, ſi autem Monachi, aut Laïci communione priventur.*

Concilij Calced. can.

Iſte Canon ad eos reſpicit homines qui ſe ab Epiſcoporum jurisdictione liberos & immunes eſſe putant. Ego verò ejuſmodi hominum generis cauſam non ago. Sed quis ex hoc Canone Monarchicam Epiſcoporum authoritatem intelliget? quis eam ab omni conſilio Presbyterorum immunem & liberam

ram perſpiciet ? Quis denique hunc Canonem aſſumet ad concludendum : Prorſus ignotam "fuiſſe Patribus Concilij Calce- " donenſis juriſdictionem commu- " nem inter Epiſcopum & Cle- " rum, atque illius tempore nemi- " ni notum fuiſſe conſenſum Cle- " ri. Sed immò totam authorita- " tem, atque integram juriſdictio- " nem in Epiſcopo ſolo coagmen- " tatam extitiſſe. Enimverò inficias ire nemo poteſt quin Concilium Calcedonenſe confirmaverit acta in Concilio Conſtantinopolitano adverſus Eutichem Presbyterum, & Archimandritam; ex quibus intelligitur condemnatio, & abdicatio hujus Presbyteri, cui triginta & vnus ſubſcripſerunt Epiſcopi, & cum iis viginti tres Presbyteri.

Autor diſſer.

Hæ ſubſcriptiones relectæ fuerunt in Concilio Calcedonenſi, Actione prima. Ergo juriſdictio communis, ſeu authoritas Epiſcoporum conjuncta cum conſilio

lio & conſenſu Cleri ſeu Presbyterorum, non fuit incognita patribus Concilij Calcedonenſis. Immò verò gloriæ, ac dignitatis Presbyterorum æmuli vehementer extitiſſe videntur hujus Concilij Patres. Quippè cùm agitaretur quæſtio inter Photium Tyri Epiſcopum, & Euſtatium Beriti pariter Epiſcopum, & criminis poſtularetur Euſtatius, quia Epiſcopos à Photio ordinatos in gradum Presbyterij redegerat. Patres vnanimi conſenſu, nemine reclamante, aut intercedente, decreverunt id fieri neutiquam poſſe. *Paſchaſinus, & Lucentius Reverendiſſimi Epiſcopi, & Bonifacius Presbyter Vicarij Apoſtolicæ ſedis Romæ, dixerunt Epiſcopum in gradum Presbyteri redigere ſacrilegium eſt. Si verò & cauſa quadam iuſta illos ab actu Epiſcopatûs amovet, nec Presbyteri locum retinere debent. Si autem citra aliquod crimen amoti ſunt dignitate ad Epiſcopalem dignitatem revertentur.* Ex quibus verbis

Concil. Calced. act. 5. p. p. 247.

bis factus eſt Canon vigeſimus nonus hujus Concilij, qui refertur numero C C V I I. in fine Codicis Eccleſiæ vniverſæ, quem publici juris fecit Chriſtophorus Iuſtellus, Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo.

Præterea citat diſſertationis Autor, Canonem nonum hujus Concilij, quo interdictum eſt Clericis ne deſerant proprium Epiſcopum, ſi litem habuerint cum aliis Clericis. Hic Canon non dicit vt à ſolo proprio Epiſcopo judicentur omiſſo conſilio, & conſenſu Presbyterorum; ſed ſolummodò ne ad ſæcularia judicia excurrant. Plures adhuc profert hujus Concilij Canones diſſertationis Autor, ex quibus intelligimus Eccleſiæ ductum, ſeu procurationem, adminiſtrationem, ac præfecturam ad Epiſcopos pertinere, quod fatentur omnes perlibenter; ſed non ſolitarios, & conſilio Presbyterorum, ac Cleri conſenſu expertes.

Caput X.

Diluitur argumentum pro Monarchiâ Epiſcopali ſumptum ex Conciliis Galliæ, uſque ad tempora Caroli Magni.

Autor diſſert. EX omnibus Conciliis, inquit Autor diſſertationis, ante tempora Caroli Magni in Gallia habitis, intelligimus, Patres, qui eis interfuere omnem adhibuiſſe curam ad imponendam neceſſitatem Clericis obediendi Epiſcopis, & ad tuendam authoritatem regendæ Eccleſiæ, quam Epiſcopi acceptam Deo referre debent. Poſteà citat varios Conciliorum Canones, ſcilicet, Agatenſis Concilij ſecundum.

Tertij Aurelianenſis decimum nonum.

Primi

Primi Aurelianenſis vigeſimum octavum.
Narbonenſis decimum.
Quinti Pariſienſis tertium.
Secundi Arelatenſis octavum.
Andegavenſis primum.
Turonenſis decimum & vndecimum.
Venetici quintum, & decimum.
Agatenſis trigeſimum octavum.
Meldenſis quinquageſimum.
Tauritiatenſis ſeptimum.
Primi Arauſicani decimum.
Secundi Arelatenſis trigeſimum ſextum.
Epaonenſis quintum.
Arvernenſis vndecimum.
Tertij Aurelianenſis decimum quintum.
Arelatenſis quinti ſeptimum.
Remenſis duodecimum.
Cabilonenſis decimum tertium.

Ex quibus confecit Autor diſſertationis Patribus horum Conciliorum ignotum fuiſſe regimen

commune inter Epiſcopum & Clerum.

Ex his tamen nihil aliud perſpicitur, niſi capeſſendæ, ſeu gerendæ Reipublicæ Chriſtianæ poteſtatem, datam eſſe Epiſcopis; quod in dubium adferre non ſolum malum, verùm etiam grande nefas arbitramur. Epiſcopos enim à Chriſto inſtitutos Eccleſiæ ſuæ Duces, ac præfectos libenter fatemur, neutiquam verò Eccleſiaſticarum rerum, atque omnium quæſtionum ſolitarios Iudices & ſequeſtros, ab omni Presbyterorum conſilio & conſenſu expertes, & liberos vniverſi Cleri ſummos Principes & Dominos.

At verò mihi cogitanti, atque animo revolventi monumenta vetera, ex quibus ea quæ ab Epiſcopis confecta ſunt in judiciis Presbyterorum, habere perſpecta poſſemus, non aliunde veritatem faciliùs exurgere poſſe exiſtimavi, quàm ex iis Conciliis

&

& conventibus Eccleſiaſticis in quibus judicij ferendi de Presbytero vſitatæ formulæ conceptis verbis ab antiquis Patribus præſcriptæ ſunt.

Porrò ejuſmodi formulam nobis ſuppeditat Concilium Turonenſe ſecundum, Anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, celebratum, Canone ſeptimo, qui eſt de remotione Abbatum, vel Archipresbyterorum, ſine conſilio Cleri non faciendâ, & ſic habet: *Vt Epiſcopus, nec Abbatem, nec Archipresbyterum ſine omnium ſuorum Compresbyterorum, & Abbatum Conſilio de loco præſumat eijcere, neque per præmia alium ordinare, niſi facto Concilio tam Abbatum, quàm Presbyterorum ſuorum; quem culpâ aut negligentiâ eijcit, cum omnium Presbyterorum conſilio refutetur.*

Ejuſdem Concilij Patres decernunt, Canone ſecundo, vt quoties exorientur lites, & quo-

 ties

ries jurgij cauſa inferetur inter Epiſcopos, eligant ab vtraque parte fratres Presbyteros, qui pacem componant, & quæſtionem dijudicent.

Eodem ferè tempore habitum eſt Concilium Pariſienſe I V. ſcilicet Anno quingenteſimo ſeptuageſimo tertio, in cauſa Pappoli Epiſcopi Carnotenſis, adverſus Promotum, quem Ægidius Remenſis Epiſcopus, in Dunenſi Caſtro Epiſcopum temerè conſecraverat. At ex hoc Conſilio ſive ex hujus Synodi conſtitutione perſpicimus Launovæi Preſbyteri ſuffragium acceſſiſſe ad ſententiam Epiſcoporum. In Concilio Antiſſiodorenſi, cui præfuit Sanctus Aunacharius hujus Eccleſiæ Epiſcopus Anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, quadraginta quinque capita ad diſciplinam Eccleſiæ pertinentia conſtituta ſunt. Hujus autem Concilij Patres ſunt vnus, & ſolitarius Epiſcopus Aunacharius

Tom. 1. Conc. Gal. Sirmondi.

Digitized by Google

rius, ſex Abbates, triginta tres Presbyteri, & tres Diaconi. Ergo his temporibus ab Eccleſiæ regimine non penitùs arcebantur Presbyteri: Immò verò ad ipſorummet Epiſcoporum negotia dijudicanda jure vocabantur, vt patet exemplo Sapharaci Epiſcopi Pariſienſis, cujus cauſa diſcuſſa fuit Anno quingenteſimo quinquageſimo quinto, præſentibus Sanctis, & venerabilibus viris Epiſcopis Medovechio Leubeno, vel Leubachario Abbate. Hiculpho Presbytero, Æterno Archidiacono, nec non & Caſtricio Diacono. Circa hæc tempora, ſcilicet Anno ſexcenteſimo trigeſimo, mos erat in Eccleſia Romana excire Presbyteros ad judicia cauſarum Epiſcopalium. Tom. I. Concil. Gall. Sirmondi p. 301.

Si vera ſunt acta Synodi Romanæ ſub Bonifacio II. Papâ, quæ publici juris fecit Eminentiſſimus Cardinalis Franciſcus Barberinus, in Libro ſub titulo col-

lectionis Romanæ Holſtenij typis edito Romæ, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo. Quippè huic Synodo quinque tantùm Epiſcopi cum triginta novem Presbyteris interfuerunt, adſtantibus quatuor Diaconis.

Oſtendimus ſuprà tempore ſancti Gregorij Magni hanc conſuetudinem vehementer viguiſſe. Ergo licèt omnes ab Autore diſſertationis laudati Canones authoritatem ac juriſdictionem penes Epiſcopos ad regendam Eccleſiam fuiſſe demonſtrént, neutiquam tamen ab hujus authoritatis, & juriſdictionis communione Presbyteros arcent, qui eam jure divino, ita vt fratres Epiſcoporum, ſed minores natu & in inferiori gradu collocati, participant.

At objiciet diſſertationis Autor, in Concilio ſecundo Arelatenſi definitum eſſe: *Vt omnis Eccleſiæ gubernatio ad eum in cujus*

civi

civitatis territorio Eccleſia, ſurrexit, pertinebit.

Reſponſio facilis eſt, eo Canone vetari, ne duo Epiſcopi ejuſdem Eccleſiæ curam habeant: ſed non arceri Presbyteros vnà cum Epiſcopo ab ejus Eccleſiæ regimine. Omnis quippè adminiſtratio Eccleſiæ cujuſlibet, vni Epiſcopo competit, ſed non ſoli, ſeu conſilio ſuorum Presbyterorum immuni & libero.

Difficilior non eſt reſponſio ad aliam objectionem, ex Concilio Vernenſi, celebrato Anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Poſtquam, inquit Autor diſſertationis, Concilium Vernenſe declaravit, Canone tertio, *Vt vnuſquiſque Epiſcoporum plenam poteſtatem habeat in ſua parochia, tam de Clero, quàm de regularibus, vel Sæcularibus ad corrigendum & emendandum*, interdicit Canone vndecimo communione iis, qui ſub præfectura Epiſcopi

„ exiſtere, aut ſe emendare poſt
„ animadverſionem noluerint:
„ *Placuit vt ſub manu Epiſcopi ſint*
„ *ſub Ordine Canonico, & ſi ali-*
„ *ter fecerint & correpti ab Epiſ-*
„ *copo ſuo ſe emendare noluerint, ex-*
„ *communicentur.*

Canones Eccleſiæ videntur in Capſa Autoris diſſertationis quaſi vaſa fictilia in manu figuli, quippe eos ad nutum efformat, & ad libitum effingit, vt abacum ſuam exornet. Cur enim de ſuo adjecit hanc particulam, Canoni tertio, *Plenam poteſtatem?* Et hæc reliqua omiſit *Secundum ordinem Canonicum ſpiritalem, vt ſic vivant qualiter Deo placere poſſint?* Fatemur quippè & iterùm confitemur vnumquemque Epiſcopum habere poteſtatem in ſua parochia, tam de Clero, quàm de regularibus vel ſæcularibus, ſed non plenam. Pariter etiam ad corrigendum, & emendandum non jure deſpotico, ſed ſecundùm Ordinem Canonicum Spi-
rita

ritalem, id eſt, cum conſilio Presbyterorum, & conſenſu Cleri, juxta Concilium Turonenſe ſupra laudatum.

Porrò dubium ſupereſſe non poteſt, quin ea ipſamet mens fuerit Patrum Concilij Vernenſis, quippè cùm ipſi Canone quarto ſequenti decernant vocari ad Synodos Abbates & Preſbyteros cum Epiſcopis. *Et illi Epiſcopi ibidem conveniant, quos modò vice Metropolitanorum conſtituimus; Et illi alij Epiſcopi, vel Abbates, ſeu Presbyteri quos ipſi Metropolitani ad ſe venire juſſerint. Ibidem in ipſa ſecunda Synodo convenire faciant.*

Ad idem proplaſma Canonem vndecimum effinxit Autor diſſertationis, eodemque minio efformavit. Enimverò non decernit omnes Clericos eſſe debere ſub manu Epiſcopi ſub Ordine Canonico. Sed eos carpit & reprehendit homines, qui dicunt quòd ſe propter Deum tonſuraſ-
ſent

G vi

ſent, & modo res eorum, vel pecunias habent, & nec ſub manu Epiſcopi ſunt, nec in Monaſterio regulariter vivunt. Igitur optionem defert ejuſmodi hominum generi eligendi vitæ formam & rationem, vel ſub manu Epiſcopi, ſub ordine Canonico, aut in Monaſterio ſub ordine regulari. *De illis hominibus, qui dicunt, quod ſe propter Deum tonſuraſſent, & modò res eorum, vel pecunias habent & nec ſub manu Epiſcopi ſunt, nec in Monaſterio vivunt: Placuit vt in Monaſterio ſint ſub ordine regulari, aut ſub manu Epiſcopi ſub ordine Canonico. Et ſi aliter fecerint, & correpti ab Epiſcopo ſuo ſe emendare noluerint, excommunicentur & de ancillis Dei velatis eadem forma ſervetur.* Dicat nobis jam Autor diſſertationis cur hæc verba: *Et in Monaſterio ſint ſub ordine regulari prætermiſerit.* Itane licet Scriptori ſincero vmbrare oculos Lectorum &c

& humanas mentes thure Epiſcopis oblato vaporare?

CONCLVSIO.

Tandem poſtquam Autor diſſertationis omnem machinam movit, & plus reverà contendit quàm potuit, vt, Patrum & Conciliorum authoritate, communem Doctorum ſententiam de communi Eccleſiæ regimine frangeret, tantâ rerum molitione venatur vndique novitatem in viſceribus vetuſtatis, & ad Romani juris opem confugit. Ideóque multas leges ex Codice Gratiani, & Iuſtiniani excerptas profert. Sed reverà ex nulla ſolitariis Epiſcopis, conſilio, & conſenſu Cleri ſui liberis, data gerendæ rei Eccleſiaſticæ poteſtas intelligitur; quamvis Sanctionibus Imperatorum, Epiſcopis authoritatem non ſolùm datam, ſed & viciſſitudine temporum, variis ac multis acceſſionibus amplificatam perſpi-

perſpiciamus. Vtcumque res ſint, lege vigeſimâ tertiâ, de Epiſcopis, & Clericis Codicis Theodoſiani ſancitum eſt, *Vt qui mos eſt cauſarum civilium, idem in negotiis Eccleſiaſticis obtineat; ut ſi quæ ſint ex quibuſdam diſſenſionibus, levibuſque delictis ad religionis obſervantiam pertinentia, locis ſuis & à ſuæ diœceſeos Synodis audiantur.* A cujus mente non fuit alienior Iuſtinianus Imperator Novellarum libro ſecundo, titulo centeſimo tertio, de Conciliis Epiſcoporum per ſingulos annos faciendis. *Vnuſquiſque Epiſcopus vel Patriarcha, vel Metropolitanus ſubjectos ſibi Epiſcopos, ſemel aut bis per ſingulos annos apud ſe convocare debet, & omnes cauſas ſubtiliter cognoſcere, quas Epiſcopi vel Clerici, vel Monachi ſecum habent, eaſque componere: & ſi quid circa Canones, ex quacunque perſona admiſſum eſt emendare.*

Verumtamen ſi continuis tempori

pori

poribus immutata gubernandæ Ec-
cleſiæ ratio videtur, & inſtat
Principum jura dare Clero &
Presbyteris Fratribus, Pontifices
Chriſti contenderunt, minimè
mirum videri debet. Non enim
magis in republica Eccleſiaſtica
gubernanda, quàm civili laudata
eſt inter homines in vna ſenten-
tia perpetua permanſio. Cùm pie-
tate populi Chriſtiani creverunt
opes Epiſcoporum, adeò vt quan-
tò rerum magis, tantò magis cu-
piditatis fuerit, Principum Curiæ
facti ſunt addictiores, cœperunt-
que iis Reges vti familiariter,
authoritas ſenſim ſine ſenſu la-
bente paulatim diſciplinâ; deſi-
dentibus moribus, in molem ex-
crevit ſummam. Prætereà Presby-
teros paupertas & multitudo, ab
Epiſcopis ἀποὶ ὑπῶς κειοπο· οξυμϑύιυς
contemptibiles fecit, atque Præ-
ſulum, & Magnatum dominationi
& ludificationi, multiplicatâ ſer-
vitute obnoxios reddidit.

Dolendum igitur eſſet maximè
tot

tot damna Eccleſiæ divitias & honores intuliſſe, niſi miſera eſſet illa conſolatio, ſed tamen neceſſaria, nihil eſſe præcipuè cuiquam dolendum in eo quod accidat vniverſis. Enimverò aut me amor Eccleſiæ fallit, aut nulla vnquam reſpublica primis temporibus nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam tam ſerò avaritia, ambitio, luxuriáque immigraverint, nec vbi tantus ac tamdiu paupertatis honos fuerit: Donec ad hæc tempora quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus, perventum eſt.

Tu fac igitur, Deus optime, maxime, qui altiſſimis ſapientiæ tuæ conſiliis in vſus profundarum cogitationum tuarum hunc humilias & hunc exaltas, animo forti ac magno ſint aræ tuæ ſacri flamines, ſperentque fore, vt tandem aliquando fracto impetu leviſſimorum hominum, priſtinam dignitatem, & gloriam conſequantur.

Nec

Nec amplius dominetur homini homo vt affligat eum, ne laudetur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicatur.

Hoc autem propterea evenit, " inquit Sanct. Hieronymus, quia " nemo peccantibus Epiſcopis au- " det contradicere, nec ſtatim Deus " vlciſciſcitur, ſed differt pœnam " dum expectat pœnitentiam: Pec- " catores autem, quia non ſtatim " arguti, atque correpti ſunt: pu- " tantes nequaquàm futurum eſſe " judicium in ſcelere perſeverant. " Poſſumus hoc teſtimonium ac- " cipere adverſus Epiſcopos, qui " acceperunt in Eccleſia poteſta- " tem, & ſcandalizant eos magis, " quos docere, & ad meliora de- " buerant incitare. Si poſt mor- " tem frequenter laudantur in Ec- " cleſia, & beati in his, que non " probabiliter fecerant, publice [" ſive à ſucceſſoribus, ſive à po- " pulis prædicantur. Et itaque va- " num eſt, quia non vt egerunt, ſic "

audiunt

„ audiunt nec ſtatim corripiuntur „ in peccato ſuo, nemo quippè „ audet accuſare majorem; propterea quaſi Sancti & Beati in „ præceptis Domini ambulantes „ augent peccata peccatis. Difficilis eſt accuſatio in Epiſcopum: „ ſi enim peccaverit,non creditur, „ & ſi convictus fuerit, non punitur.

FINIS.

SANCTVS GREGORIVS *Magnus Paſtoralis parte ſecunda, capite octavo.*

Rectores boni dum privato amore diligere ſe neſciunt, liberæ puritatis verbum, à ſubditis obſequium humilitatis credunt.

INDEX

Index Capitum in hac Diſſertatione contentorum.

CAput I. Quod Chriſtus Dominus Regimen Monarchicum non inſtituit in Eccleſia. pag. 1.
Cap. II. Apoſtoli & Diſcipuli poſt reſurrectionem Chriſti, res Eccleſiæ in communi geſſerunt, pag. 14.
Cap. III. Diluuntur objectiones contra Sententiam, duobus Capitibus quæ antecedunt, propoſitam. pag. 22.
Cap. IV. Canones Apoſtolici confirmant regimen Eccleſiæ commune inter Epiſcopos, & Presbyteros. pag. 38.
Cap. V. Expenduntur Teſtimonia Sancti Ignatij Martyris de regimine communi. pag. 42
Cap. VI. Presbyteri Eccleſiam regebant in communi cum Epiſcopis temporibus Sancti Irenæi

næi, Clementis Alexandrini, Tertulliani, & Origenis. p.58.

Cap. VII. Sententiæ Sancti Cypriani de communi Eccleſiæ regimine. Αναχριστ. pag. 63.

Cap. VIII. Antiqui Patres. S. Hilarius Diaconus, S. Baſilius Cæſareenſis, S. Hieronymus, S. Ioannes Chryſoſtomus. S. Auguſtinus, Theodoretus, S. Gregorius magnus, S. Iſidorus: Beda, Hincmarus, &c. ſequuntur ſententiam S. Cypriani. p.104.

Cap. IX. Commune regimen Eccleſiæ inter Epiſcopos & Preſbyteros, ex antiquis Conciliis demonſtratur. pag. 128.

Caput X. Diluitur argumentum pro Monarchia Epiſcopali, ſumptum ex Conciliis Galliæ vſque ad tempora Caroli Magni. pag. 146.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google